PARTITIONES
JURIS CANONICI

AB U. J. D.

NICOLAO VALLETTA

JURIS CIVILIS ANTECESSORE

concinnatæ.

NEAPOLI

MDCCLXXXV.

EX OFFICINA MICHAELIS MORELLI

Superiorum Permissu.

IOSEPHO . CARFORA
VIRO . INCOMPARABILI
IVRIS . QVA . PVBLICI . QVA . PRIVATI
SCIENTISSIMO
IN . REBVS . AGENDIS . DEXTERITATE
ANIMIQVE . AEQVABILITATE
NVLLI . SECVNDO
OMNIBVS . ACCEPTISSIMO
HASCE . IVRIS . CANONICI . PARTITIONES
NICOLAVS . VALLETTA
DEVOTI . ANIMI . MONVMENTVM

PRÆNOTIONES CANONICÆ.

PARTITIONUM JURIS CANONICI

PARS I.

Ro-

PARTITIONUM JURIS CANONICI

PARTITIONUM JURIS CANONICI.

PRÆNOTIONES
CANONICÆ.

§. 1. ANtequam Ecclesiastici Juris partes expendamus, prorsus necessarium esse reor nonnulla prævertere, quæ ad ejus naturam, atque historiam probe dignoscendam faciunt. A definitione, uti par est, exordiamur.

CAP. I.

DE JURIS CANONICI DEFINITIONE, AC DIVISIONE.

§. 2. MUltas Canonistæ, & quandoque in Logicam peccantes, Juris Canonici definitiones tradidere. *V. Doviat. Prænot. Canonic. l. 1., & Gibert. Corp. Jur. Can. tom.* 1. Rectius dici potest, esse *complexionem regularum, quæ ab Ecclesia per Episcopos explicatæ, vel constitutæ sunt, ut Christianorum mores ad æternam felici-*

tatem dirigantur. Definitionem iſtam accuratius perſcrutamur.

§. 3. *Regulæ* primum Eccleſiaſticæ ex Divino, humanoque Jure profectæ, uti mox dicemus, fidem, mores, vel diſciplinam reſpiciunt. Fides ea complectitur credenda, quæ Chriſtus docuit: mores ſunt Chriſtianorum actiones: diſciplina circa liturgiam, bonorum Eccleſiæ adminiſtrationem, aliaque ad exteriorem ejus adminiſtrandæ formam pertinentia, verſatur. Chryſoſtomus vero πολιτειαν *politiam* dixit tam mores, quam diſciplinam. Una omnium fidelium fidei, morumque regula eſſe debet, quam *explicat* ſolummodo Eccleſia: at diſciplina ſecundum tempora, ac loca immutari poteſt; eamque idcirco Eccleſia diverſimode *conſtituit*.

§. 4. Ex regulis hiſce factum eſt *Juris Canonici* nomen. Nam Græcum Κανων, *regula*, omne, quod pro regula haberi poteſt, deſignat: hinc *juſti regula* in *L.* 2. *ff. de LL.* Per excellentiam vero denotat Epiſcoporum Conſtitutiones in Synodis editas, quæ actiones dirigunt: *legis* vero nomine rejecto, ſemper Eccleſia verecundo *canonis* vocabulo uſa eſt. *Doviat. d. loc. Suicer. Theſaur. Eccleſ. v. canon.* Ve-

Verum antiquitus Κανονες *regulæ* proprie dicebantur, quæ mores, ac disciplinam respiciebant, uti ex veteribus Canonum codicibus liquet: διατυπωσεις *Constitutiones*, & δογματα *decreta*, quæ fidem. Atque hæ in symbola, seu formulas fidei, synodicas epistolas, vel Acta in hæreticos redigebantur. A dogmatibus canones distinguit inter alios Justinianus *Nov.*131.*c.*1. Postmodum de fide & politia in canonibus agi cœpit, & *Canonum* amplior facta est acceptio.

§. 5. Jus Canonicum dici quoque consuevit *Jus Ecclesiasticum*, *Divinum*, *Sacrum*, *Pontificium*: quin & *publicum*, quia sacra publici, non privati juris sunt, *L.*1. *ff. de J. & J.* & *can.* 11. *dist.* 1., *Melchior Canus de loc. Theol. V.* 5. Alii Jus Ecclesiasticum *publicum* vocant, quod hierarchiam respicit, statumque Ecclesiæ, quatenus Rempublicam constituit; & *privatum*, quod privatorum causas respicit ecclesiasticas, ex. gr. jus patronatus, beneficia &c. *V. Boehmer. not. in Claud. Fleury Inst. Jur. Eccles. p.* 1. *c.* 2. §. 4.

§. 6. Jus autem Pontificium, quoniam constat non minus ex Divino Jure, & Constitutionibus, quam ex Consuetudine, aut *scriptum* est, aut *non scriptum*: ut

alias omittam ejus divisiones per se claras.

§. 7. DIVINUM JUS veteri, ac novo Testamento continetur. Quos vero libros pro divinis haberi oporteat, definivit Tridentina Synodus in decreto de Canonicis Scripturis *Sess.* 4.

§. 8. Veteris Testamenti præcepta vel judicia, seu juris dicendi regulas, vel cæremonias, seu exteriorem Religionis cultum, vel mores spectabant. *V. Selden. de legib. Hebræor.* Quæ judicia, & cæremoniæ, utpote ingeniis hominum, temporibusque accommodatæ, sublatæ sunt. Re quidem vera *translato Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat*, ait Paulus *ad Hebr. VII.* 12. Hieronymus autem *Ep.* 75. putabat, post Christi demum mortem legalia mortua, ac mortifera evasisse; nimirum & vim non amplius habuisse, & sine peccato non potuisse servari; Petrum, Paulum, Jacobum, etiam post mortem Christi Mosaicas cæremonias ideo servasse, ut ne Judæis ad veram venientibus fidem scandalo essent. At Augustinus *Ep.* 82. post mortem Christi usque ad sufficientem Evangelii publicationem mortua legalia, ait, non mortifera; atque

que eo tempore Judæis ad fidem venientibus licuisse legalia servare: quam sententiam postmodum sequutus idem Hieronymus videtur, *Hieron. Dialog. adv. Pelag. l.8.*, *August. ep.260. ad Ocean.*

§. 9. Quod si anno Christi 51. Apostoli in Concilio de Mosaicæ legis controversia Hierosolymis habito, sanxere, *ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum* (idolothytis, seu carnibus immolatis idolis), *& sanguine*, *& suffocato*, *& fornicatione*, id fecere, ne Judæis simul cum Gentibus commorantibus, scandalum præberetur, ipsaque ciborum varietas tenellis ad fidem properantibus animis offendiculo fuisset. Nimirum cæremonialia post Evangelii evulgationem *mortifera* evasere; judicialia vero tantum mortua; ac proinde hæc vi novæ legis recentari poterant. *S.Thom.* 1.2. *quæst.* 103. *art.* 4. Idcirco quæ Mosaica præcepta de judiciis Ecclesia sua fecit, ad Jus Canonicum pertinent, *V. Petr. Pithœum in Collat. LL. Mosaic. cum Romanis*; non secus ac ea, quæ mores, & naturale Jus respiciunt. Hæc enim æternum stabunt: eaque Christus non venit *solvere*, *sed adimplere*, *Matth. V.* 17.

§. 10. Novi Testamenti præcepta vel

mores ſpectant, & eadem ſunt, quæ Teſtamenti veteris, quæque Decalogo comprehenduntur; vel ſpectant cæremonias, uti Sacramenta, & Sacrificium. Nullæ civiles leges in eo ſunt, quia non ad rempublicam inſtituendam Chriſtus miſſus eſt. Judiciale Eccleſiæ Jus ex Civili, & Moſaico de judiciis profectum eſt; & maximam partem a Pontificibus. Huc pertinet verbum Dei traditum, de quo inferius.

§. 11. CONSTITUTIONES ſunt Jus humanum ſcriptum; & quidem vel Civile, de quo alibi, vel Eccleſiaſticum. Eccleſiaſticæ Conſtitutiones proprie *canones* dicuntur: atque horum alii ſunt Conciliorum ſtatuta; alii Decreta Pontificum; alii dicta Sanctorum Patrum, *can.* 1. *diſt.*20.

§. 12. Epiſcoporum convocationes *συνόδοι*, *concilia* dicuntur. Atque Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus Chriſtus ait, *ubi ſunt duo, vel tres, congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, *Matth.XVIII.*20. Et primum Apoſtoli pro legalium cauſa finienda, Hieroſolymis concilium habuere.

§. 13. *Eccleſiaſtica Concilia* vel *generalia*, ſeu *œcumenica* ſunt, vel *particularia*. Hæc item vel *Nationalia*, quæ olim *Diœce-*

cesana audiebant, in quibus plurium Provinciarum, sive universæ Nationis, aut Regni Episcopi, ac Metropolitæ conveniebant: atque a Patriarchis in Oriente, in Occidente a Primatibus, ac Romano Pontifice celebrabantur: vel *Provincialia*, quæ celebrantur a Metropolita cum Provinciæ Episcopis: vel *Episcopalia*, seu *presbyteria*, hodie *diœcesana*, quæ habet cum suæ parœciæ Presbyteris Episcopus: vel tandem *Mixta* ex Provincialibus, atque Episcopalibus, quibus una cum presbyteris intersunt etiam Episcopi. Nonnulla hujusmodi Concilia a Rom. Pontificibus coacta sunt, quibus interfuerunt Romani presbyteri, & Episcopi, qui Romæ forte versabantur. Eadem ratione Constantinopoli perpetua erat Synodus.

§. 14. Quod si episcopi cum Regni Primoribus conveniant, *Regia* Concilia audiunt; quæ & Constantinopoli non rara fuere; & frequentiora in Hispania, & Gallia, Caroli M., & Ludovici Pii præsertim tempestate; & in Regno Neapolitano minime ignota. Sane Carolus II. Andegavensis hac ratione in plano S. Martini anno 1283., Capitula 46. sanxit.

§. 15. Discrimen inter œcumenica, &

minora Concilia non est positum in numero eorum, qui intersunt, verum in diversa eorum vocandorum ratione. Quippe ad generale Concilium totius Christiani Orbis episcopi rite sunt convocandi. Prioribus IX. circiter sæculis œcumenica Concilia appellabantur, in quibus episcopi intererant ex universo orbe Christiano; nimirum ex Imperio Orientali, & Occidentali. At IX. sæculo, scissa Orientali ab Ecclesia Occidentali, quæ catholici Episcopi, Rom. Pontifice Præside, celebrarunt, ex Occidente scilicet, aliisve omnibus Catholici Orbis Regionibus convenientes, œcumenica etiam Concilia audiere.

§. 16. Jus indicendi œcumenica Concilia Romani Pontificis semper fuit. *V. Christianum Lupum Schol. in can. 16. Dict. Gregor. VII. contra Joh. Launojum*. Quod si Constantinus Imp. Nicænum, aliique Imperatores alia Orientis Concilia convocarunt, id ex sententia Romanorum Pontificum fecere, *Rufinus Hist. Eccles. V. 1.* Sacra quidem Conciliorum auctoritas ex Pontificum pendebat auctoritate. Christiani autem Principes locum illis habendis concedebant, Tractoriis litteris prospiciebant Patrum paupertati, videbant, ne Respu-

blica

blica quid detrimenti ex indicto multorum conventu caperet, *L. conventicula C. Th. de Ep.*, & *Cler.*, & *L.* 1. *de Colleg.*; ac præterea uti Canonum exequutores, tutoresque se gerebant.

§. 17. Insuper Romani Pontificis est œcumenicis synodis sive per se, sive per legatos præesse, suffragium præbere, atque acta confirmare. Veteres autem conciliorum condendorum ritus prætereo. Illud recolendum est, recte habitam œcumenicam Synodum in fide morumque doctrina falli haud posse: immutari posse tantum quoad disciplinam pertinet. Hac mente Augustinus *de baptism. II.* 3. inquit, *concilia priora posterioribus emendari, quum experimento aperitur, quod latebat.*

§. 18. Prima œcumenica synodus est Nicæna anno 325., habita Nicææ in Bithynia, indicta a Constantino M. ex sententia S. Silvestri Papæ, qui præfuit per suos legatos Osium Episcopum Cordubensem, Victorem, & Vincentium presbyteros Romanos. In ea convenerant 318. Episcopi ad damnandam hæresim Arianam, quæ Christi divinitatem negabat; atque ad statuendum anni tempus, in quo Pascha esset celebrandum: iique 20. quo-

que

que canones ad disciplinam reformandam concinnarunt.

§. 19. Omnium postrema est Tridentina ob Lutheri, Calvini, Zuinglii, aliorumque Novatorum hæreses coacta sub Paullo III. anno 1545., continuata sub Julio III., & sub Pio IV. anno 1563. absoluta. Ejus decreta de fide, ubique recepta sunt apud Catholicos. Quæ vero de disciplina in ea statuuntur, si Regis, civiumque juribus, vel Ecclesiarum moribus opponuntur, recepta non sunt: uti pleraque in Regno nostro.

§. 20. Diœcesana concilia res fidei, ac disciplinæ expediebant quoad universam diœcesim, vel nationem: eaque sensim in Occidente defecere, quia post Isidori decretales disciplina invaluit, ne concilia quidem provincialia cogi posse, inconsulto Rom. Pontifice; atque ad eum omnium ecclesiarum ordinariam episcopalem sollicitudinem, misso omni medio, pertinere.

§. 21. Provincialia concilia indicere metropolitani est, ac propterea Romani Pontificis in Romana provincia: idque non potest Archiepiscopus sine suffraganeis, uti sunt in Regno nostro Rossanensis, & Lan-

Lancianensis, *Benedict.XIV. de syn. diœc. II.* 4. Quod si metropolita impedimento quodam detineatur, vel e vivis excesserit, hoc jus ad suffraganeum antiquiorem transit, *Fagnan. ad cap.* 25. *de accusat.* Episcopi exemti vicinum metropolitanum eligere prorsus debent, cujus synodo provinciali interesse velint, *Trident. sess.* 24. *de ref. cap.* 2.

§. 22. Cautum olim fuit in Synodo Nicæna, hujusmodi provincialia concilia in quolibet anno bis; tum semel; tandem ad quodlibet triennium celebrari ex Tridentina, *d. loc.* Verum primum jussu Sixti IV. Sacra Congregatio concilii interpres, antequam hæc concilia evulgarentur, ab sede Apostolica probari voluit. Hodie, inconsulta Apostolica sede, in Italia ea minime convocantur; eorumque decreta sunt etiam confirmanda. Tum Provinciales Regni nostri episcopi neque in unum convenire, inscio Rege, possunt, neque synodica acta, ita ferente veteri consuetudine, publicare. Atqui provinciales synodi, præcipue ob causarum Romano Pontifici post Isidorianas decretales reservationem, ferme desuevere. Nihilominus inter Synodos Provinciales post Tridentinum habitas, a sum-

mis Pontificibus probatas, eminent quinque Mediolanenses a S. Carolo Borromæo celebratæ: tum binæ Neapolitanæ; altera a Mario Carafa anno 1579.; altera a Card. Cantelmo anno 1699. coactæ, *Fagnan. ad cap.* 1. *de summa Trinit. cap.* 48. At Concilii Provincialis Romani anno 1725. a Benedicto XIII. celebrati aliquot capita in Regni nostri locis Rom. Provinciæ subjectis, ex Regiæ Potestatis decreto temperanda prius, quam exsecutioni mandarentur, edictum est. *V. mss. consult. Argentianam*, & *Crivellianam*. Verum eorum capitum nonnulla, quæ initio displicuere, moribus subinde recepta videntur; alia novissimo Concordato rata permanserunt.

§. 23. Similiter episcopalia concilia bis in anno cogi, cautum fuit sæculo IV. a Nicæna synodo *can.* 5. Postmodum semel in singulos annos; quod & Tridentinum probavit, *d. loc.* Observandum heic est, in particularibus quoque conciliis conditos fuisse canones ad fidem, ac disciplinam pertinentes, *De Marca VI.* 14. De Conciliorum collectionibus vide Fabricium *Bibliothec. Græc. tom XI.*

§. 24. Constitutionibus quoque Romano-

norum Pontificum Jus Canonicum constat. Generales in Ecclesia regulas constituere potest Romanus Pontifex vi primatus sui, non vero ex Novella 24. Theodosii, & Valentiniani. Nam jus Petro a Christo datum pascendi oves, & fratres confirmandi, in summos Pontifices transfusum, canonum condendorum continet potestatem. Revera semper in fidei, & disciplinæ controversiis Romanam Sedem universa consuluit Ecclesia. Neque per relationem in codices, uti putat Paschasius Quesnellus *disc.* 12. *de cod. can. Eccles. Rom. cap.* 11., sed ex se Romanorum Pontificum decretales robur habent. *V. Petr. de Marc. l.* 8., *& Petr. Coustantium præfat. ad epist. Rom. Pontific.*

§. 25. Decretales autem Epistolæ, quas Romani Pontifices pro diversis temporibus ab urbe Roma, & pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendæ sunt: verbis utor Gelasii in Concilio Romano, *seu in can.* 3. *dist.* 15: ex quibus gravis oritur conjectura, V. sæculo aut nondum, aut vix usum invaluisse Constitutionum sponte editarum. Postmodum quiescentibus, ac tacentibus episcopis, cum maximæ causæ in Provin-
ciis

ciis numero plurimis emergebant, ipsæ per se, ut ita dicam, clamare, & Romanum Pontificem rogare cœperunt, *V. Carol. Sebast. Berard. Inst. Jur. Ecclesiast. part.* 1. *tit.* 5.

§. 26. Jam vero ex recentiori Ecclesiæ disciplina Pontificum Constitutiones aut generales sunt, aut speciales. Generales sunt *decreta*, & *decretales epistolæ*: speciales proprie *rescripta* dicuntur. Decreta in Civili Jurisprudentia sunt sententiæ, etiam Principum, in causarum cognitionibus latæ, *L.* 9. §. 1. *de off. Proconf.*: at in Jurisprudentia Canonica sunt tum Constitutiones, quas Romani Pontifices a nemine consulti in Synodo Romanæ Provinciæ, aut Episcoporum universæ Italiæ, edebant olim; & Cardinalium consilio hodie; tum Responsa ad Episcoporum quæstiones. Illæ *Edicta*; hæc in Jure Civili *Rescripta* dicuntur.

§. 27. Epistolæ Decretales, quæ & *responsa* nuncupantur (in Jure Romanorum *Rescripta Principum* dicuntur), sunt Pontificum rescripta ad Prælatos, vel privatos, sive consultores, sive relatores; quæ licet plerumque privatas respiciant caussas; tamen quia ea mente concepta sunt,

sunt, ut ad similes extenderentur species, vim generalis Constitutionis habent, *cap.* 8. 9., *&* 14. *de Rescript. cap.* 19. x *de sent. & re jud*: qua in re secus statutum erat ex Jure Civili, *Jac. Gothofred. in L.* 9. *C. Th. de divers. rescript.*

§. 28. Pontificum Rescripta hodie dicuntur Litteræ, quibus illi quid fieri supplicantium causa jubent. Appellantur quoque *Diplomata*, a duabus membranæ plicis, in quas contrahi solent, ac *Bullæ*, a sigillo plumbeo iis appenso; quæ *Bullæ consistoriales* appellantur, si non Pontificis solum, verum etiam Cardinalium subscriptiones contineant, *V. Mabill. de re diplom. Lib.* 11. *cap.* 14., *& Michaël Heinecc. de sigillis veterum*. At *Brevia* brevioribus chartis sub annulo Piscatoris exarantur; nimirum sigillo rubræ ceræ; & latinis litteris, non Langobardicis, seu Theutonicis, quemadmodum scribuntur Bullæ, *V. Murator. antiquit. med. æv. diss.* 35. *tom.* 3.

§. 29. Canones de fide, & moribus; quos concilia, vel Pontifices Romani statuunt, propriam vim habent, ut statim a publicatione omnes adstringant: etenim sunt ipsa doctrina evangelica explicatius inculcata: qui vero de disciplina sunt, tum de-

demum obligare putat *De Marca II, 16.*, cum expresso, tacitove ecclesiarum consensu recipiuntur. Nec satis esse, pontificias decretales in Romana Curia tantum publicari, probat Espenius *de promulg. leg. Eccles. p.1. c.3.* Postquam vero legitime facta est legis generalis publicatio, post duos menses demum obligare, nisi aliud legislator jusserit, cavit Justinianus *Nov.66.* §.1. Verum in Regno pro executione Constitutionum Romanæ Sedis, Regio placito opus est, *Pragm.* 5. *de citationib.*, *Salgad. de supplicat. ad Sanctiss.*, *Jannon.XXXIII.*5.

§. 30. Porro *Dicta*, seu sententiæ SS. Patrum, auctoritatem tum demum nanciscuntur, cum inter Juris libros potestate publica relata sunt, *tot. dist.*20. Eodem jure ante Augusti tempora Prudentum *Responsa* censebantur. Ex scriptis veterum Ecclesiæ Patrum, quoties consona sunt, & perennia, verbum Dei traditum eruitur: atque illa ab hoc non distinguuntur, nisi quatenus testimonium veritatis redditum ab ipsa veritate separatur. Verum ad legem constituendam non tam scientia, & sanctitas, quam auctoritas est necessaria. Hanc vero solis Episcopis Christus dedit. Proinde dicta Patrum, ut vim canonis obti-

tineant, ab Ecclesia probanda sunt, & recipienda, *can.* 5. *dist.* 9. Facit ad rem, quod prostat in *L.* 1. §. 6. *C. de vet. jur. enucl.*, & ait Bonifacius VIII. *cap.* 22. *de præbend. in* 6., *nostra facimus, quæ probamus, & quibus nostram impertimur auctoritatem*. Patrum autem dicta in Oriente primus Sæculo VI. Joannes Scholasticus suæ collectioni inserere cœpit: in Occidente primus Regino Sæculo X.

§. 31. Denique CONSUETUDO ex Jure non scripto venit, & magnam quoque vim habet, nisi Divino Juri refragetur, *can.* 8. *dist.* 8. Adeo autem Consuetudo robur habet, ut & regulam constituat, *can.* 5. *dist.* 11.; *can.* 7. *dist.* 12., & ipsos tollat canones de ritibus conditos (non item de moribus, quia præscribi æternæ legi nequit): ex. gr. sollemnes baptizandorum catechumenorum ritus; ac pœnitentium stationes hodie non amplius locum habent.

§. 32. Quæ generalis est totius Christiani orbis Consuetudo, cujus ignoramus originem, vel ab Apostolis, vel ab œcumenicis Conciliis ducenda est; & pro lege servanda. Ita Tertullianus *de coron. milit. c.* 3. nefas esse, scribit, *die Dominico de geniculis* adorare. Et Augustinus *Ep.* 86.

ad Casul. in can. 7. dist. 11., Deum lædere, inquit, qui *die Dominico jejunat*: idque propter Resurrectionis Christi memoriam, unde fideles lætos esse oportebat.

§. 33. Specialis autem Consuetudo cujusdam Regionis, Provinciæ, aut Ecclesiæ, si præter legem est, deficiente Jure scripto, pro lege habetur, *L.* 32., *&* 33. *de LL.*, *&* *can.* 5. *dist.* 1.: si contra legem, Jus scriptum humanum tollit, modo rationabilis sit, & legitime præscripta 40. annis, *cap.* 15. *de præscript.*, *cap. ult. de consuetud.*: si tandem secundum legem, scriptum Jus dubium interpretatur, *L.*37. *eod.*, *cap.* 8. *de consuet.*

§. 34. Atque locorum Consuetudines servandæ quoque sunt. Exemplum Monicæ Augustini matris, quæ Sabbato Romæ jejunaverat, Mediolanum venientis, ubi Sabbati dies festus erat, vide apud Augustinum ipsum *ep.* 86., *&* 145. Huc pertinere videntur consuetudines rituales certis Codicibus commendatæ, uti sunt libri Pontificales, Cœremoniales, Manuales, Formularii &c., in quibus varia disciplina exhibetur, quia variæ fuerunt Ecclesiarum Consuetudines. In Tridentino Conci-

cilio profpectum fuit, ut Manuales, Rituales, Miffalefqae libri ad unam, fi fieri poffet, formam redigerentur, *feff.*25.

§. 35. Sunt qui *Traditionem* quoque Juris non fcripti partem faciunt *ex can.* 8. *dift.* 11.: funt & qui eam ad Confuetudinem ipfam referunt *ex can.* 11. *dift.*11. Rectius mihi videtur dici poffe, Juris fcripti partem effe; modo quid *Juris fcripti* nomine veniat, probe noverimus. Ea autem complectitur, quæ *ipfius Chrifti ore ab Apoftolis accepta, aut ab ipfis Apoftolis, Spiritu Sancto dictante, quafi per manus tradita fine fcripto ad nos pervenerunt*, uti in *Trident. feff.* 4. *pr. c.* 4. Multa ideo five fidei, five difciplinæ capita, quæ fola nituntur Traditione, robur idem habent, ac quæ in ipfis Divinis Scripturis continentur. Sane Traditione unice nituntur hæc; frontem crucis figno munire; aquam cum vino in Miffæ facrificio mifcere; eos, qui baptizantur, ungere; benedicere aquam baptifmi, & oleum unctionis; parvulos baptizare; ter in baptifmo mergere; & alia. *V. Nat. Alex. in fæc.II. diff.*16.

§. 36. Patent ex dictis Canonum loca, in quibus fcilicet & Canones continentur, & ex quibus Canones eruuntur. Atque eadem

ipsa sunt, ac loca Theologica: nam olim Theologica facultas ab Ecclesiastica Jurisprudentia minime dividebatur; & post divisionem scientiarum certa adhuc principiorum communio permansit. Locis nunc canonum adde plurima veterum Romanorum Jurisconsultorum Responsa, quæ etiam Gratianus suo Codici inseruit. Ea recenset diligenter Berardus *Inst. Jur. Eccles. p.* 1. *tit.* 5. §. 7.

§. 37. Adde etiam codices legum receptarum olim a piis Christianis Imperatoribus editarum. Christus quidem Ecclesiæ regendæ potestatem Apostolis, & episcopis concessit, *Jo. XX.* 22., *& alibi*: verum & Ecclesiæ, & Imperii fines constituit, *Matth. XXII, v.* 21., ita ut illius spiritualia essent, hujus temporalia: illius, quæ ad servandam, propagandamque religionem faciunt; hujus, quæ ad societatis conservationem, ac tranquillitatem. Proinde quemadmodum in temporalibus Imperio subest Ecclesia, & *omnis anima potestatibus sublimioribus*, *Paul. ad Rom. cap.* 13. *v.* 8., ita in spiritualibus Imperium Ecclesiæ subest. Hinc facessat mostrum illud biceps, quod jactant Sectarii, *V. Jo. Franc. Buddeum Theol. dogm. V.* 4.

§. 38.

§. 38. Principes autem & uti tutores vindicesque Religionis, quæ fulcrum societatis est firmissimum (unde episcopum se circa externa Ecclesiæ a Deo constitutum, ait Constantinus M. apud Eusebium *de vit. Constant. IV.* 24.), Christi fidem sanctionibus muniunt, ac vetus jus firmant: & uti Reipublicæ capita pro ejus incolumitate leges ferunt, quæ politiam quoque respiciunt Ecclesiasticam. Ad rem est Lucii III. sententia, cum *in cap.* 1. *de novi op. nunc.* scripsit, *& leges sacros canones imitari, & sacrorum statuta canonum Principum Constitutionibus adjuvari. V. De Marca II.* 11.

§. 39. Huc pertinent *Concordata* inter Romanam Sedem, & Principes. Ita apud nos sub Nortmannis inter Guilelmum I., & Hadrianum IV. anno 1156: ita sub Andegavensibus sunt capitula 24. Clementis IV. in Bulla investituræ Carolo I. data anno 1265: tum inter Innocentium VIII., & Ferdinandum Regem anno 1487: inter Clementem VIII., & Carolum V. Imp. anno 1532: ac novissime inter Benedictum XIV., & Carolum Borbonium anno 1741.

§. 40. Præter hæc loca Juris communis, & generalis, sunt & alia, quæ continent

Jus singulare certæ quarumdam persona- rum conditionis. Hujus generis sunt statuta Collegiorum, Monachorum regulæ, & similia.

CAP. II.

DE CANONUM COLLECTIONIBUS.

§. 41. Christus Ecclesiam suam, cum inter homines degebat, legibus formavit; deinceps Apostolis, eorumque successoribus episcopis regendam commisit, *Joann.* XX. v. 21. *Act.* XX. v. 28. Ecclesiæ ipsemet caput; membra fideles (viva quidem, si habeant caritatem, & unitatem; mortua vero, si priventur); finis spiritualis est, ad quem sensibilibus signis evehimur. Visibilis profecto Ecclesia in terris est; adeout fratrem adhuc non emendatum Christus ad Ecclesiam deferri præceperit, *Matt.* XVIII. 17. Qui igitur eam ex solis justis constitui, atque invisibilem esse putant, splendide halucinantur. Christi autem Ecclesia sancta est, apostolica, catholica, & una. Hinc *canonicis*, seu *formatis* litteris inter particulares Ecclesias

ſias unio antiquitus ſervabatur.

§. 42. Legibus Chriſtiana iſthæc ſocietas indigebat, ut æternum ſtaret: atque canonibus, licet numero paucioribus olim, cum Chriſtiana caritas maxime vigebat, gubernabatur. Verum aucta in dies canonum ſuppellectile, res ipſa poſtulabat, ut ne ii interirent, in codices colligerentur. Aucta inſuper codicum copia, certus ordo codicibus, rebuſque in iiſdem contentis, ne rerum confuſio emergeret, tributus fuit. Ordo temporum, vetuſtiſſima præſertim ætate, cum non multi canones erant, aliis placuit: alii, præſertim recentiores, in conſpectu ampliſſimorum codicum, rerum ordinem commodiorem fore putarunt.

§. 43. Alii, præſertim qui ordinem temporum ſequuti ſunt, pro integris monumentis codices compendiarios, ſive breviarios ſubſtituerunt, in quibus aut contraxerunt prolixas canonum ſententias, aut fragmenta canonum retulere.

§. 44. Præterea canonum codices aut auctoritate epiſcoporum fiebant, ut in cujuſque Eccleſiæ archivo cuſtodirentur, manu Notariorum eccleſiæ exarati (qui ob hanc rem numero plurimi, quibus præſide-

bat Primicerius, olim erant); aut a privato quodam. Nec desunt codices, in quos & canones, & leges civiles de rebus sacris conjectæ sunt; ac *nomo-canones* audiunt.

§. 45. Utile, & necessarium semper fuit canones colligere, plura collectionum exemplaria cudere, atque custodire: sed plura quoque fuere vitia collectorum, amanuensium, & custodum, ab antiquissimis usque temporibus, uti ex *can.* 59. inter Apostolicos. Hæc vitia simul, atque artis criticæ regulas collectionibus canonum convenientes, accurate exponit Berardus *Inst. J. Eccles. tit. 6., & 7.*

§. 46. Proinde qualis codicibus haberi fides debeat, ex qualitate collectorum, amanuensium, ex custodum perquirendum est. Magis autem suspecta fuit codicum fides postquam Episcopi CPolitani olim de primatu cum Romanis Pontificibus contenderunt. Hinc varia canonis *6.* Nicæni exemplaria in Chalcedonensi Concilio anni 451., actione *16.* Ex Græcorum sane schismate corrupti codices prodiere. Schisma movere cœpit Anatolius Sæculo V., qui potestatem suam plus æquo evehere conabatur: absolvit Sæculo IX.

Pho-

Photius, qui anno 858. CPolitanam ſedem, pulſo Ignatio, occupavit. Hinc Græcos inter, & Latinos controverſia enata de VIII. Synodo œcumenica, cujus acta profert Beveregius *in Pand. can. tom. III.*

§. 47. Ut autem de canonum codicibus diſputatio noſtra rite recteque procedat, primum de illis, qui in Oriente adornati ſunt, agam; dein de iis, qui in Occidente.

§. 48. IN ORIENTE Græca Eccleſia verbo Dei tum ſcripto, tum tradito, ad Nicænum Concilium uſque, anno 325. coactum, gubernabatur: & particularia ſolummodo in quibuſdam locis fuere Concilia. Ipſos Apoſtolos Hieroſolymis conventus egiſſe, in Actis Apoſtolorum legimus. Illa vero Synodus, quam profert Franciſcus Turrianus Antiochiæ ab Apoſtolis habitam, in qua novem canones perlati ſunt, ψευδεπίγραφοι, *ſuppoſititia* certe eſt. Præter Turrianum eam ediderunt Baronius *ad ann.* 102., & Binius *Collect. Concil. tom. I.*

§. 49. At ſub Conſtantino pace Eccleſia gaviſa fuit; pluraque habita fuere œcumenica, & particularia Concilia. Exinde tot Græcorum canonum collectiones,

a quibus utplurimum latinæ profectæ ſunt. Multi autem ex veteribus codicibus aut perierunt, aut noti non ſunt: Celebriores memorabo.

§. 50. Et I. concinnata fuit *Collectio canonum ſanctorum Apoſtolorum per Clementem*. De hiſce canonibus non una eſt eruditorum opinio. Illis, qui receperant univerſos, morem geſſiſſe videtur Juſtinianus *Nov. 6.*, necnon Trullanum Concilium *in can.3.*, cujus fragmentum extat in *can. 7. diſt. 16.*, & Joannes Damaſcenus *de fide orthodoxa IV.* 17. Hoc tuetur Turrianus idem: Doctiores vero ſtatuunt, eos ab Apoſtolis ſcriptos non fuiſſe, neque a Clemente collectos.

§. 51. Revera eos minime veteres Patres recenſuere, uti Euſebius *Hiſtor. Eccleſ. III.* 15., ac Hieronymus *in catal. ſcript. Eccleſ.*; ne ii quidem, e quorum re videbatur eos laudare. Tum multa in illis canonibus dilucide ſcripta continentur, de quibus ad IV. uſque Sæculum certatum fuit: ex.gr. in can. 8., paſcha more Judaico non eſſe celebrandum luna decimaquarta, & ante vernale æquinoctium; in can. 46. baptiſma ab hæreticis collatum invalidum eſſe (cum contrarium

ſta-

ſtatutum ſit *in plenario totius orbis Concilio*, Auguſt. *de baptiſmo l. 7.*, ſeu Nicæno I.; ſeu Arelatenſi, tum in Tridentino *ſeſſ. 7. cap. 4.*); & in can. 21., 22. *&* 23. in eos, qui ſeipſos evirant ſevere animadvertendum; quod Origenis occaſione poſtmodum obtinuit. Adhæc in illis multa continentur Apoſtolorum ætate prorſus ignota: ex. gr. res epiſcopi ab eccleſiæ bonis diſtinctæ; concilia metropolitarum annua; altaria, lumina, thus ad altare adferendum, clerici infra diaconos conſtituti, & alia. Demum ii veteribus, qua Græcis, qua latinis, ſubleſtæ fidei fuere; præſertim Photio, Dionyſio Exiguo, ipſique Iſidoro Mercatori *in eorum Collectionum præfationibus. V. Berard. in Grat. part. 1. cap. 1.*

§. 52. Ceterum eoſdem canones ſic dictos Apoſtolicos, ab apoſtolicis, catholiciſque Epiſcopis in Synodis trium priorum Sæculorum, neque omnes eodem tempore conditos fuiſſe, jam ſatis conſtat, *Gabriel. Albaſpin. Obſ. I. 13. Dupin. prolegom. in Bib. tom. 2.* Albaſpinæus idem, De Marca, Beveregius, aliique hanc collectionem Synodum Nicænam præiviſſe vel ex eo demonſtrare ſibi videntur, quod nonnulli

ca-

canones Nicæni, atque Antiocheni *antiquas regulas* confirment. Alii e contrario *regulæ*, & *canonis* nomine veterum mores intelligunt. Certe codex iste Canonum Apostolicorum primum apparuit in collectione Canonum, quæ Theodoreto Cyrensi Episcopo adscribitur, h. e. circa an. 500., in qua canones 85. recensentur; omnesque 85. Joannes Scholasticus in suam collectionem inseruit. Ad Latinam Ecclesiam eos canones, jam propria auctoritate perductos, primus latinitate donavit sub initium VI. Sæculi Dionysius Exiguus, genere Græcus; sed solum priores 50. Idipsum postea fecit Isidorus Mercator. At recentiores servandorum veterum monumentorum gratia, quæcumque fides adhibenda iis esset, descripserunt universos. Hanc συλλογὴν evulgavit Guilelmus Beveregius *in Pandectis canonum tom. I.*, & *in cod. can. Eccl. primitiv. vindic.*; tum Philippus Labbæus *in collect. Concilior. tom.* I.; necnon Cotelerius *Patr. Apostolicor. tom. I.*

§. 53. II. *Constitutiones Sanctorum Apostolorum per Clementem episcopum, & civem Romanum, seu Catholica doctrina*, quas genuinas esse, putant Turrianus *pro cano-*

canonib., *& const. Apostolic.*, & Wiston *in Christian. rediviv.*; at Apostolis abjucandas esse, iisdem evincitur rationibus, quæ Canones sic dictos Apostolicos ψευδεπιγράφους probant; præsertim quia multa, quæ puriori Ecclesiæ doctrinæ refragantur pro Arianis, ac Macedonianis complectuntur. V. Cotelerium *in judic. de Const. Apostolic.*, Clericum *diss. de Const. Apostol.*, & de Marca *III.* 2.

§. 54. Collectio isthæc, uti melioris notæ Canonistæ putant, ex legibus, moribus, ritibus, ac liturgiis, quibus prioribus Sæculis diversæ regebantur Orientatales Ecclesiæ, concinnata fuit; quibus nonnulla deinceps IV. Sæculo accesserunt. Ubi autem primum Apostolicæ Constitutiones adparuere, nihil adversus fidem complectebantur: postmodum multis fœdatæ sunt mendis. Earum octo libri, quos habemus, quo primum tempore prodierint, incertum est. Mentio quidem eorum occurrit apud Auctorem *Operis imperfecti in Matthæum*, circa Theodosii tempora, *Fabric. Bibl. Græc.V.* 15. Epiphanius vero, qui antea floruerat, *constitutionem* Apostolorum memorat; sed quam fortasse quis Apostolorum nomine, sicuti plures hu-

hujusmodi constitutiones commentitiæ exstiterunt, in medium protulerat. Pseudoapostolicas Constitutiones primus edidit Franciscus Turrianus an. 1563.; postremo Cotelerius *Patr. Apostolic, tom.* 1.

§. 55. III. Canonum collectio omnium fortasse vetustissima in Oriente est *codex Ecclesiæ universæ*, ita dictus, quia probatus credebatur ab universa Ecclesia in Concilio Chalcedonensi anni 451. Continet autem canones 207. Collector, ignotus auctor, desinit in canonibus Concilii CPolitani I. anni 381. Constat igitur, Græcam Ecclesiam medio Sæculo V. hunc Codicem habuisse, canones Conciliorum Orientalium complectentem, perpetua serie digestos, quasi unius essent Concilii. Christophorus Justellus anno 1610. edidit *codicem canonum ecclesiæ universæ*. Sed hunc non esse veterem illum Græcorum codicem, neque universæ Ecclesiæ, ostendunt Ballerinii *de antiqu. collect. canon. p.* 1. *c.* 1. Huic autem Græcorum codici nonnullæ accessiones factæ fuere Sæculis VI. VII., & opera Photii Sæc. IX: atque integrum hoc corpus edidit anno 1672. laudatus Beveregius *in Pandect. canon.*

§. 56. IV. Joannes Scholasticus (nimirum

ex foro. V. *Meurſ. Gloſſar. Græc. v. ſchol.*) circa annum 564., cum presbyter adhuc eſſet, *Collectionem canonum in* 50. *titulos* concinnavit: in qua integros Canones conciliorum,qui inerant codici Eccleſiæ Græcæ (ſi excipias can.28. Chalcedonenſem, quo CPolitanæ ſedi patriarchica dignitas conferebatur, contradicente Leone M.), non ſecundum tempora, uti erant, ſed ſecundum rerum ordinem, digeſſit. Eam edidere Voëllus, & Juſtellus *in. Bibliothec. Jur. Canonic. vet.*

§. 57. V. Scholaſticus idem ad patriarchatum CPolitanum a Juſtiniano Imp. evectus *Nomocanonem* adornavit, 50. quoque titulis. Sed Canones prioris collectionis epitomavit; iiſque concordantes adtexuit civiles leges ex Codice, ac Novellis Juſtiniani petitas. V. Voëllum, & Juſtellum in laudato opere.

§.58. VI. Sequitur *Nomocanon* Photii poſt annum 857., ſylloge totius Græci Juris. V. *Voëll.*, & *Juſtell. in d. Bibliothec.* Tam hoc, quam ſequentia Græcorum compendia in difficillimis hiſce litterarum temporibus, ſecundum materiarum ordinem digeſta ſunt.

§.59. VII. *Synopſis Canonum* Michaëlis Pſelli

Pſelli CPolitani circa annum 1071. concinnata fuit, & anno 1622. edita a Franciſco Boſqueto. VIII. *Synopſis Canonum* Alexii Ariſtini Diaconi CPolitanæ Eccleſiæ circa annum 1130. Hanc, & tres ſequentes collectiones, ediderunt quoque Voëllus, & Juſtellus. IX. *Collectio Eccleſiaſticarum Conſtitutionum*, Romanorum ſcilicet Imperatorum, a Theodoro Balſamone, patriarcha Antiocheno circa annum 1191. facta: X. *Synopſis divinorum Canonum* Arſenii patriarchæ CPolitani circa annum 1255, XI. *Epitome Canonum* Simeonis Magiſtri, & Logothetæ circa annum 1330., XII. *Syntagma alphabeticum rerum omnium, quæ in ſacris, diviniſque Canonibus comprehenduntur*, Matthæi Blaſtaris Monachi, circa annum 1335., vide apud Beveregium, & Cotelerium *Not. in monum. Eccleſ. Græc.* XIII. *Epitome Canonum* Conſtantini Harmenopuli, circa annum 1380., de quo vide Fabricium *Bibl. Græc. tom.* 10. Edidit Marquardus Freherus *Jur. Græco-Rom. Lib.* 1. XIV. Denique *Nomocanonem* alium evulgavit Cotelerius, *Monum. Eccleſ. Græc. tom.* 1.: Decreta, & reſponſa Græcorum Antiſtitum legit Leunclavius *Jur. Græco-Rom. Lib. III.*: ac *Pœnitentia-*

le

le Joannis Cappadocis patriarchæ CP. edidit Morinus *De pœnit. in fin.* Jam vero Juris Canonici Græci Interpretes refert Fabricius *Bibl. Græc. tom. XI.* Commentaria vero, quæ habemus celebriora, Sæc. XII. exararunt Jo. Zonaras, Alexius Aristenus, & Theodorus Balſamon; quos vide apud Beveregium *in Pand. Can. tom.* I. & 2.

§. *60.* IN OCCIDENTE quoque antiquitus Eccleſia regebatur regulis ſacræ Scripturæ, & traditione ad Nicænam Synodum: uſquedum ſolos Nicænos, & Sardicenſes Canones recepit. Ita Innocentius I., qui anno 402. Romanam ſedem occupavit, *Ep. ad Cler.*, & *pop. CP. apud Sozomenum*, *Hiſt. Eccleſ. VIII.* 26. ſolos Nicænos Canones receptos ait; & Nicænorum nomine intelliguntur etiam Sardicenſes, qui illorum veluti appendix erant.

§. *61.* I. At Sæculo IV. Romana Eccleſia peculiarem habuit Canonum codicem. Sane Dionyſius Exiguus *priſtini Romani codicis confuſionem* memorat *in Ep. ad Stephan. Salonit.* Temporis autem edacitate intercidit; quicquid alii dicant. Nec ſolum Romana Eccleſia, ſed & Africana, Gallicana, Hiſpanica, aliæque olim

C pe-

peculiarem Canonum codicem habuere, *V. Espen. Comm. in can. Jur. vet. p. 1. diss. 6., & seq.*

§. 62. II. Postmodum Dionysius Exiguus, gente Scyta, domicilio Romanus, forte circa annum 500. collectionem privato studio adornavit in duas partes tributam; quarum prior Canones complectitur, & *codex Canonum Ecclesiasticorum* nuncupatur; in qua ex Græcis exemplaribus in latinum canones transtulit: altera, post aliquod temporis intervallum evulgata, dicitur *codex Decretorum Romanorum Pontificum*, in qua decreta Apostolicæ sedis continentur: ac Decretales collegit a Siricio, hoc est ab anno 384. ad Anastasium II., hoc est ad annum 498. Dionysiana collectio in Romana Ecclesia recepta fuit; cujus exemplo in Galliis ante Carolum M., *Sirmond. præfat. ad collect. Conciliorum Galliæ.* Ex Dionysio autem collectiones suas concinnarunt Cresconius in Africa, in Anglia Ecbertus, & Auctor Hibernensis collectionis. Collectionem illam Dionysii, uti & tres sequentes, ediderunt Voëllus, & Justellus, *Bibl. J. Can. vet. tom. 1.*

§. 63. III. In Africa Fulgentius Ferran-

randus, Carthaginienſis Eccleſiæ diaconus, floruit, dum Romæ Dionyſius; ac *Breviationem*, ſeu *Indiculum Canonum* ſecundum materias exaravit.

§. 64. IV. Tum circa annum 560. Martinus, gente Pannonius, Dumienſis Monaſterii in Gallæcia Abbas, & poſtea Bracarenſis Archiepiſcopus, confecit *collectionem Capitulorum ex Græcis Synodis.*

§. 65. V. Inſuper anno 597. Creſconius epiſcopus in Africa floruit, atque in duas partes ſuam partitus eſt collectionem, quarum prior *Breviarium canonicum*, altera *concordia*, ſeu *liber Canonum* nuncupatur.

§. 66. VI. Anno autem 774. Hadrianus I. Carolo M. tradidit collectionem Canonum, & decretorum ſedis Apoſtolicæ; quæ eadem eſt, ac Dionyſiana illa, ſed additionibus locupletata. Per excellentiam in Gallia dicta fuit *codex Canonum*, *V. Sirmond. Concil. Gall. tom.* 2., quem Petrus Pithoeus edidit anno 1687.

§. 67. VII. Jus Canonicum vetus dici ſolet, quod hucuſque expoſuimus: Novum in Occidente incipit a Pſeudo-Iſidori ſuppoſititiis Decretalibus, atque a novis eorum Conſtitutionibus, qui poſt

Caroli M. ætatem Romanam sedem occuparunt; cum ignorantia & barbaries grassabatur. Hinc nova per Occidentales Ecclesias disciplina veterem puriorem tollit. Isidorus, sive Mercator, sive Peccator, collectionem Canonum, & decretorum Apostolicæ sedis ex monumentis genuinis, & spuriis simul confecit.

§. 68. Supposititia monumenta, quibus Isidorus suam collectionem foedavit, a se primum procusa, sunt 99. Decretales Epistolæ, scilicet 33. R. Pontificibus ante Siricium falso adscriptæ; & reliquæ posterioribus ad Gregorium M. usque; necnon acta Concilii sub Julio I. & Concilii V., & VI. sub Symmacho. Quæ vero monumenta ab aliis antea conficta, fuerunt ab eodem Isidoro recepta, sunt Epistolæ Clementis I. ad Jacobum, & excerpta Romanæ Synodi sub Sylvestro P., *V. Philippum Labbæum Concil. tom.* 1., *& nostrum Carolum Blascum, de Collectione Canonum Isidori Mercatoris.*

§. 69. Isidoriana collectio primum exeunte Sæculo VIII. in Germania adparuit; eamque tanquam ex Hispania illuc invectam sub Isidori Hispalensis nomine, teste Hincmaro Rhemensi, *opusc. adversus*

Hinc.

Hincmar. Laudun., evulgavit Rodulphus Episcopus Moguntinus. Tum in Gallias illata; & serius Romam pervasit. Epistolarum autem, & monumentorum, quæ complectebatur hæc collectio, falsitas gravissimis argumentis, quicquid secus dicat Franciscus Turrianus, demonstrata jam est a viris doctis: earum tamen putidæ merces ad Orientalem Ecclesiam haud pervenerunt. Adversus Turrianum scripsit David Blondellus Calvinianus librum inscriptum *Pseudo-Isidorus, & Turrianus vapulantes.* Quis vero fuerit Isidorianæ imposturæ scopus, dissensio est inter doctos.

§. 70. VIII. Statim ac in Gallias collectio Isidori invecta est, desumta ex ea sunt *Octoginta Capitula*, & in unum collecta, quæ cum Hadriano I. R. Pontifici falso tributa essent, ejus adhuc nomen præseferunt. Multa quidem continent *inter se dissona, & diversa a sacris Canonibus*, uti ait laudatus Hincmarus Rhem. *in d. opusc. c.* 24. V. Blascum *in diatriba de Cap. Hadr. trib.* Ea ediderunt Labbæus *tom.* 6., Harduinus *coll. Concil. tom.* 3., ac Sirmondus *Conc. Galliæ tom.* 2.

§. 71. IX. Sæculo pariter IX. prodiit

collectio incerti auctoris, ex Hispalensis, & Exigui collectionibus maximam partem deprompta; quæ licet inscribatur *Canones Pœnitentiales*, continet tamen Canonum omne genus. Eam, quam Ms. viderat Joannes Morinus, primus typis vulgavit Lucas Dacherius, *Spicil. Patrum*.

§. 72. X. Proprie *Canones Pœnitentiales* nuncupantur, quibus pœnitentiæ agendæ tempus, ac modus præscribitur; & quorum præcipuæ collectiones sunt hæ; illa Theodori Archiep. Cantuariensis, inscripta *Pœnitentiale*, cujus summaria capita prostant apud Henricum Spelmannum in *Collect. Conc. Galliæ*: illa Bedæ in quatuor tributa libros, quæ Ms. extat in Bibliotheca Collegii S. Benedicti in Anglia: illa Halitgarii Cameracensis Ep. edita in Bibliotheca Vet. Patrum *Tom. V. coll.* 590.: illa tandem Rabani Mauri Benedictini, quam edidit Georgius Colvenerius.

§. 73. XI. Tum Sæculo X. Regino Monachus Benedictinus collectionem adornavit, inscriptam *De Ecclesiastica Disciplina*, & *Religione Christiana*. Collectionibus usus est Exigui, Hispalensis, ac Mercatoris; necnon Conciliis in Gallia, & Germa-

mania habitis, Patrum auctoritatibus, legibusque Romanis Codicis Theodosiani ex Aniani interpretatione, ac Francicis ex Regum Francorum Capitularibus. Eam primus evulgavit Joachimus Hildebrandus *an.* 1659; tum expurgatam, atque illustratam Baluzius *an.* 1671.

§. 74. XII. Veniunt *Capitularia Regum Francorum* (in Regni comitiis statuta, in quibus tamen laici non intererant, cum de rebus mere spiritualibus agebatur, *Hincmar. Rhemens. ep.* 3. *cap.*35.), studio Ansegisi Abbatis in quatuor libros redacta; quibus Benedictus Levita tres alios adtexuit. Capitularia autem probavit Leo IV. a Gratiano relatus in *can.*9. *dist.* 10.; edidit atque illustravit Stephanus Baluzius *Paris. an.* 1677.

§. 75. XIII. Insuper Sæculo XI. Burchardus Wormatiensis Ep. *Magnum Decretorum volumen*, vulgo *Decretum* edidit; ac multa ex Reginone mutuatus est. V. Blondell. *prolegom. ad pseudo-Isidor. c.*18., Ballerin. *p.*4. *c.*12., Baluz. *ad Reginon.* Burchardi opus magnam obtinuit auctoritatem; adeout pro ipsis regulis dictio *Brochardica*, quasi *Burchardica* usurpari soleret, *Christ. Thomas. diss. de Brochardico caussa*

fatua excusat a dolo: atque evulgatum fuit Coloniæ an. 1548.

§. 76. XIV. Binæ collectiones Ivonis sunt; altera *Excerptiones Ecclesiasticarum Regularum libris XVII.* quæ *Decretum Ivonis* appellata est: eamque edidit primum Jo. Molinæus *Lovanii an.* 1561 : recudit Jo. Fronto *Paris. an.* 1647.

§. 77. XV. Altera *Panormia*, vel *Pannormia* dicta est; quam Ivonis esse contra nonnullos probant Baluzius *in dial. Ant. Aug. de em. Grat.*, & Fabricius *Bibl.Græc. tom. XI.*: ediderunt Sebast. Brant *Basileæ an.* 1499., & Melchior a Vosmediano *Lovanii an.* 1557.

§. 78. XVI. Nunc in scenam prodeat Gratianus, Natione Thuscus, patria Clusinus, professione Monacus Benedictinus, qui *Concordiam Discordantium Canonum*, vulgo *Decretum*, anno 1151. confecit, ex Dionysio Exiguo, Isidoro, Ivone, Burchardo, aliisque decerptum. Ob temporum, in quæ inciderat, infelicitatem, plura peccavit, non modo a studiis privatorum notata, præsertim a S. Antonino, necnon a tribus Antoniis, Demochare, Contio, & Augustino, atque a Carolo Molinæo; verum etiam a quibusdam viris

viris doctis jussu trium Pontificum ; Pii IV., Pii V., & Gregorii XIII., qui Correctores Romani dicuntur. Hi autem plurima mutarunt, addiderunt, detraxerunt; *Espen. diss. in Grat. cap.* 2. §. 5. Multa tandem emendarunt Petrus, & Franciscus Pithoei fratres, Baluzius, Van-Espenius, ac novissime Berardus : & tamen multa adhuc corrigenda supersunt.

§. 79. Gratianæa collectio canonicam nusquam nacta est auctoritatem: at summo plausu statim recepta fuit; quia scholastica methodo, quæ tunc vigebat, exarata; & quia in frequenti Bononiensi Academia prælegebatur; adeo quidem, ut ceteris neglectis collectionibus, ea solummodo in usu esset. Gratianus vero per excellentiam *magister* dictus; & *baccillarii*, qui ejus opus docebant; ita appellati a *bacillo*, seu baculo, quo, veluti quadam doctrinæ tessera, utebantur. In tres illud dispescitur partes : prima in 101. Distinctiones partita est: altera habet Causas 36., quarum singulæ in quæstiones dividuntur; quæstio vero 3. causæ 33. in septem Distinctiones *de Pœnitentia* subdividitur: tertia quinque Distinctiones exhibet *de consecratione*. De confusione tamen,

quâ

qua opus hocce laborat, conqueritur Jo. Molinæus. Denique vox *Palea* quibusdam præfixa Canonibus, forte Auctoris cujusdam nomen fuit. Canones vero, quos in ea rhapsodia Gratianus conjecit, ad suos refert auctores Petrus Guenois *in Corp. J. Can. in fin.*, & indicem locorum *S. Scripturæ* Jo. Nicivellensis.

§. 80. XVII. Quum vero frequentissimæ essent hoc tempore ob novas caussas Epistolæ Decretales R. Pontificum, quinque earum veteres collectiones recensentur. Prima est *Breviarium Extravagantium* Bernardi Circa Præpositi Papiensis.

§. 81. XVIII. Altera Joannis Vallensis, sive Gallensis: non enim supersunt illa Gilberti, & illa Alani, quæ hanc præcesserant.

§. 82. XIX. Tertiam confecit opera Bernardi Diaconi Beneventani Innocentius III.; eique Juris robur impertitus est, rejecta alia collectione, quam ante confecerat Bernardus Major Compostellanus Archidiaconus ex Decretalibus priorum 12. annorum ejusdem Innocentii.

§. 83. XX. Quarta est Anonymi sub eodem Innocentio III., qui & posteriores hujus Pontificis Decretales collegit,

&

& 71. Capita Synodi Lateranensis sub eodem Pontifice celebratæ.

§. 84. XXI. Quinta demum est Honorii III., sedis etiam Apostolicæ auctoritate edita. Harum collectionum priores quatuor Antonius Augustinus evulgavit *Ilerdæ an.* 1576., *&* *Paris an.* 1609.; postremam Innocentius Cironius. *Tolosæ an.* 1645.

§. 85. XXII. At Gregorius IX., qui Honorio successit, ex hisce quinque collectionibus, suisque Constitutionibus, opera S. Raymundi de Pennafort Barcinonensis, unum corpus in quinque libros sectum ordinavit, quod prodiit an. 1230., Pontificia donatum auctoritate. Integras autem Decretales minime refert Raymundus; & quandoque, non secus ac Tribonianus, utilia, observante Antonio Contio, abscidit: adeout priores collectiones ad hujus interpretationem maxime faciant; etiam post labores Cujacii, Jani a Costa, Florentis, Espenii, & in primis Antonii Contii, & Francisci Pegna, qui in Romana editione suppleverunt, quæ a primis Decretalium collectionibus Raymundus detraxerat. Chifletii tamen *Apologiam pro utriusque Juris architectis* vide

in

in Thesauro Ottonis *tom.* 3.

§. 86. XXIII. Tum anno 1397. Bonifacius VIII., trium Jurisconsultorum opera, novam Decretalium collectionem suo nomine, suaque auctoritate confecit; quam *VI.* Decretalium Librum nuncupavit. Is habet Decretales R. Pontificum post Gregorium, ipsiusque Bonifacii; necnon Canones utriusque Lugdunensis generalis Concilii; quorum alterum anno 1245. sub Innocentio IV., alterum anno 1274. sub Gregorio X. coactum est.

§. 87. XXIV. Sequitur *Clementinarum* collectio, qua comprehenduntur Constitutiones Clementis V. in Concilio Viennensi anno 1305. editæ, & a Joane XXII. evulgatæ anno 1317.

§. 88. XXV. Denique sunt *Extravagantes* Joannis XXII., & communes, non solum subsequentium R. Pontificum ad Xistum IV. usque; h. e. ad annum 1483. verum quorumdam etiam, qui ipsum Innocentium III. præcesserunt. Atque hæ sex Canonum, ac Decretalium collectiones, scilicet Decretum Gratiani, Collectio Gregoriana, Sextus Decretalium, Clementinæ, Extravagantes Joannis XXII. &

& Communes, constituunt hodiernum, quo utimur, Juris Canonici corpus. In Gallia solummodo Sextus Decretalium probatus, & receptus non fuit ob dissidia inter Philippum Pulchrum, & Bonifacium *VIII*. Ceterum & in civili Foro Jus novum Canonicum in multis articulis se se commendavit, & obtinuit. Plures sunt Corporis Canonici Juris editiones: celebriores vero illa Basileæ *an.* 1512., *Corpus Juris Canonici glossatum* inscripta; illa, quæ a fratribus Pithoeis, Parisiis *an.* 1685., & 1687.; & illa, quæ cura, ac studio Justi Hennigii Boëhmeri novissime prodiit. Complures quoque post XII. Sæculum Juris Ecclesiastici consulti extitere, qui illud interpretationibus illustrarunt, ut omittam glossas, & Glossographorum nomina, quæ refert in primis Berardus *in Inst. tom.* 1. Sed antea, nimirum circa Sæc. VI., apud nos jam erant latinæ Canonum codici Græcæ Ecclesiæ insertorum versiones, privatorum curis exaratæ, scilicet Isidoriana (ita nuncupata, quia nobis eam servavit in sua collectione Pseudo-Isidorus); antiqua, quam ediderunt Voëllus, ac Justellus *Bibl. J. Can. Vet. tom.* 1., & illa, quam Dionysius Exiguus, germanior, politio-

litiorque interpres, confecit.

§. 89. XXVI. Tempus autem, quod a Xisto IV. ad nos excurrit, Jus Canonicum novissimum continet. Huc pertinet Concilium Tridentinum, medio Sæculo XVI. celebratum (§. 19.). Et post illud plura in Catholicis Provinciis ad disciplinæ reparationem coacta sunt Concilia; uti Mediolanensia a S. Carlo habita, & alia.

§. 90. XXVII. Huc quoque pertinent Pontificiæ Constitutiones, quæ in Juris corpore comprehensæ non censentur. Earum variæ factæ sunt Collectiones, quæ Bullaria dicuntur. Privato studio primam evulgavit Collectionem Cherubinus Laërtius ab Leonis M. ætate ad Xistum V. anno 1586. Aliam confecit Angelus Maria Cherubinus, ejus filius, Monachus Cassinensis, anno 1634. Postremam anno 1740. Carolus Cocquelines.

§. 91. XXVIII. Sunt & Regulæ Cancellariæ primum a Joanne XXII. editæ; tum a Nicolao V., & successoribus auctæ; tandem ab Innocentio X. in 71. titulos distributæ, atque una Constitutione conclusæ, evulgatæ sunt. Eæ non per modum legis perpetuæ, sed edicti latæ;

cum

cum Pontificis obitu obire dicuntur; atque a sequenti Pontifice probatæ revivifcere. An apud nos obtineant, alibi diximus.

§. 92. XXIX. Institutiones Juris Canonici a Paullo Lancellotto Perusino, mandato Paulli IV. digestæ *an.* 1563., Pontificia auctoritate donatæ non fuere; ut neque in Foro, neque in scholis receptæ sint. A multis tamen, & præcipue a Zieglero, & Doviatio illustratæ fuere.

§. 93. XXX. Tandem Jus cujusque gentis proprium faciunt *Concordata* Pontifices inter, ac Principes inita; uti pro Germania anno 1447. inter Nicolaum V., & Fridericum III. Imp.: pro Gallis anno 1516. inter Leonem X., & Franciscum I. ac pro Regno nostro, quæ superius declaravimus (§. 39.)

§. 94. Jam vero his præjactis, veluti Canonicæ scientiæ fundamentis, tempus nunc est, ut tribus partibus rem omnem perstringamus. Ac de personis, rebus, judiciisque juxta receptam objectorum Juris divisionem, verba facturi, non sola vetustatis monumenta, nec recentiorem solummodo Ecclesiæ complectemur ætatem. Media hinc incedentes via, quo-

ad

ad ejus fieri poteſt, veterem, ac novum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, præſertim quoad Regnum noſtrum attinet, aſpectum patefacere conabimur. Sane & prima purioraque Eccleſiæ tempora ſpectanda ſunt; & novum, quo utimur, quodque præcipue poſt Caroli Magni principatum obtinuit, Jus Canonicum minime negligendum. Nam licet multum a veteri hoc diſtat; novis tamen moribus, ac malis multum etiam convenit reparandis. Appoſite ille Juris publici Eccleſiaſtici ſcientiſſimus Petrus de Marca *de C. S. & I. III. 6.* ita effatur, *Eo ſtatu res Eccleſiæ nunc poſitæ ſunt, ut ſi quis de abſoluta, & integra reſtitutione Juris antiqui, & novi abolitione, contendat, perinde agat, ac ſi imperiorum inveteratorum adminiſtrationem ad eam formam revocare velit, quæ in ipſis regnorum initiis obtinebat.*

PARTIT.

PARTITIONUM JURIS CANONICI

PARS I.

CAP. I.

DE JURE PERSONARUM.

§. 95. CHristiani dividuntur in *laicos*, & *clericos*. Laici sunt quasi λαος *populus* Ecclesiæ, ab omni ejus ministerio alieni: unde ἰδιωται *privati* plerumque audiunt. Dividebantur autem in *fideles*, qui baptismo regenerati, & *Catechumenos*, qui ad baptismum suscipiendum erudiebantur, *de quibus vide Albaspin. Obs. Eccles. Lib.* 11., *Bon. de reb. liturg. l.* 15., & *Morin. de expiat. catechum.*

§. 96. Quoniam vero Christus non venit mutare hominum conditiones, uti scribit Hier. *in Ep. ad Galatas c. 6.*, ideo cum servitus vigebat, h.e. ante ann. 1266. (uti ex ep. Clementis IV. *ad Belam Hung. Regem*. *V. Thomasin. p.*2. *Lib.* 1. *cap.*74.), laici erant aut *servi*, aut *liberi*: & isti aut *ingenui*, aut *libertini*. Ser-

vos autem & Ecclesia habebat, quorum in veteribus Canonibus *apud A. August. Epit. Jur. lib.* 10. *a tit.* 22. *ad* 27., & in Decretalibus mentio est, *c.* 3., *&* 4. *de reb. Eccles. alien.*, & *c.* 3., *&* 4. *de rer. permut.*: eorumque eadem ferme omnium conditio, sed non eadem ministeria.

§. 97. Ecclesiæ servos ejus Prælatus manumittebat, non uti dominus; dominium namque penes Ecclesiam erat (unde Ecclesiam *manumittentem* ait Innocentius III. *de serv. non ord.*), sed uti procurator, justa ex causa. Expediebatur vero manumissio sive coram Principe *per denarium* in manu servi positum, qui per Principem excutiebatur, sive *per chartam*. Atque hic manumittendi modus absimilis non erat a veteri illo *in sacrosanctis Ecclesiis*. *V. Guil. a Loon de manumissionib. apud Rom.* Hinc in Francorum Capitularibus, atque in Langob. LL. leguntur *liberti denariales*, & *chartularii*, *V. P. Pithoeum ad L. Salicam tit.* 28. *Lemaistre de jurib. Episcop. III.* 8. Qui vero *per chartam in Ecclesia*, uti est in Capitulari anni 806., manumittebantur, secundum Romanam legem dicebantur ma-

manumitti; plenamque ita libertatem, & Romanam Civitatem acquirebant ex Conſt. Imp. Conſtantini, *Niceph. Hiſt.VII.* 16: atque ii Eccleſiæ ſervi, qui in Clerum cooptandi manumittebantur, ſolummodo *in Eccleſia* manumitti poterant; non vero debebant *ſæculari judicio jugo ſervitutis abſolvi*, *cap.* 1. *de ſerv. non ord. A. Aug. ad prim. Collect. d. cap.* 1.; hoc eſt apud Principem per denarium. Ita, *uti eſt in Langob. Lib. III. L.*33., *& Rip. tit.*60., *Eccleſia lege Romana vivebat*.

§. 98. In Eccleſia manumiſſi ei debebant operas, atque obſequium; & apud novum Epiſcopum intra annum ſe libertos Eccleſiæ profiteri tenebantur: aliter rurſus in ſervitutem detrudebantur, ob ingrati animi vitium, *Concil. Hiſpal. in can.* 62. *cauſ.* 12. *q.* 2., *& Tolet. IV. in can.*58. *cauſ.* 12. *qu.*2.: idque etiam de libertorum liberis cautum fuit *Concil. Tolet. IV. in can.* 65. *cauſ.* 2. *q.*2., *Tolet. VI. in can.* 64. *ibid.*, *& Cæſaraugustan. III. c.* 4. Quare nonnulli conficiunt, libertorum quoque liberos poſt manumiſſionem ſuſceptos, Eccleſiæ libertos eſſe (non ita ex Jure communi, *L.* 11. *C. de op. libert.*). At vere ingenuos, quodam-

modo libertos fuisse, putarim *ex d. Concil. Tolet. IV. apud Grat. d. loc.* Tandem libertis Ecclesiæ peculium concessum ipsa manumissione non censeri, deducitur ex Tolet. Concilio *in cap. 3. de reb. Eccl. alien.* Aliud ex communi Jure, *L.* 53. *de pecul.*

§. 99. *Clerici* autem in novo Testamento dicti sunt a voce κλῆρος, quæ *sortem* denotat, & quandoque portionem, quam sors cuiquam objecerit: vel quia ii *de sorte sunt Domini*, ob Ecclesiasticum ministerium peculiariter iis solis sollemni ritu collatum, vel *quia ipse Dominus sors, idest pars Clericorum est*, *Hieron. ep.* 2. *ad Nepot.* Dicuntur etiam *Ecclesiastici*, *Vales. not. in Euseb. II.* 25: licet quandoque Christiani omnes, maxime quum Judæis, paganis, atque hæreticis opponuntur, hoc nomine donati fuissent, *I. Petri v.* 3. Unde Theophanes *Hom.* 12. auditores suos vocat κλῆρον, *clerum*. *V. Euseb. IV.* 7., & *V.* 27., & *Cyrill. Hierosolym. Cathec.* 15. *n.* 4.

§. 100. Clerici itaque proprie dicti sunt, qui sacro, ac publico aliquo munere in Ecclesia funguntur, sive præeundo, sive ministrando. Quare eorum ordo

τα-

ταξις τυ Βηματος, *ordo ſanctuarii* dictus eſt a Nanz. *Orat.* 20. *in laudem Baſilii;* quod Clericis ſolummodo permiſſum ſit Βημα, ſive ιερατειον, *Sanctuarium* intrare. Obſervandum hic eſt, prioribus duobus Eccleſiæ Sæculis *Clericos* dictos fuiſſe ſolummodo epiſcopos, presbyteros, ac diaconos, quibus Eccleſiaſtici miniſterii ſors a Chriſto data, *Abbo Floriacenſis in apologetic.*: poſtmodum etiam alios Clericos: imo non ſolum qui *in ordine* erant, & *ordinari* dicebantur; verum etiam qui ſine ullo ordine erant *in officio*, & dicebantur *promoveri*, atque eſſe *in canone*, ſeu tabula Eccleſiæ. Ut omittam, ſequiori ævo litteratos *clericos*, illiterales *laicos* appellatos fuiſſe, *Cang. v. clericus*.

§. 101. Clerici a laicis ordinis, poteſtatiſque ratione, Divino Jure diſtinguuntur; quicquid eterodoxi audeant deblaterare. Sane in novo Teſtamento, uti paſtor ab ovibus ſegregantur, *Act.* 20., *I. Petri* 5. Et Apoſtoli eos ad Diaconatum adſcivere, qui ex Eccleſiæ conſultatione viderentur *boni teſtimonii*, *pleni Spiritu Sancto, & ſapientia*. Ac Tertullianus *lib. de præſcript. c.* 41., ut aliorum Patrum ſileam teſtimonia, ſui temporis hæreticos

insectatur, quia apud ipsos *hodie presbyter, qui cras laicus ... nam & laicis sacerdotalia munia injungunt*. Quod si quandoque omnes Christiani appellati fuere Sacerdotes, id lato modo accipiendum est: omnes enim membra sumus summi Sacerdotis Jesu Christi. Quare in sacris Litteris, & apud veteres Patres vox *Sacerdotium*, æque ac *Sacrificium*, & lata, & stricta significatione posita est. *Si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificavero, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse meæ hostiæ sacerdos efficior*, ait Origenes *Hom.* 9. *in cap.* 16. *Levit.* S. Petrus *I. cap.* 11. *v.* 5. *&* 9. Proinde si Tertullianus *exhort. ad castit. cap.*7. distinctionem Clericorum, & laicorum, Jure divino vere inductam, *Ecclesiæ auctoritati* tribuit, doctrinam de Sacerdotio omnibus communi, non sine emphasi, de more suo, hæreticus Montanista jam factus, proposuisse videtur.

CA-

CAP. II.

DE ECCLESIASTICA HIERARCHIA.

§. 102. EX Clericorum ordine Ecclesiastica exurgit hierarchia, quæ Episcopis, Presbyteris, ac Ministris Jure divino constat, *Trid. sess.* 23. *can.* 6. Hæreticos non moror osores *hierarchiæ* nominis, utpote ad pompam facti: nam & veteres ad Ecclesiæ præposituram indigitandam eo ferme usi sunt vocabulo.

§. 103. Primus hierarchiæ gradus *episcoporum* est, qui Apostolis succedunt: atque inter eos nulla est ex institutione divina potestatis, atque honoris prærogativa, modo Romani Pontificis primatum excipias. At humano Jure *metropolitæ*, ac *patriarchæ* instituti sunt.

§. 104. Nimirum *externam* Ecclesiarum *politiam* ad civilis imperii exemplum fuisse constitutam, adeo quidem, ut digniores civitates, vel dignitatibus auctæ, majores quoque in Ecclesia prærogativas habuerint, jam satis liquet. *Bing. Orig. IX.* 1. Hinc olim (non in parvis oppidis, ne sacerdotium vilesceret, *Conc. Sar-*

dic. can. 6.; quod tamen perpetuum non fuit, *Bing. II.* 12.), in minoribus civitatibus, in quibus erat Senatus, seu *Ordo*, *curia*, atque inter Curiales præcellebat juri dicundo *defenſor civitatis*, ſeu *dictator*, conſtituebantur *epiſcopi*. In civitatibus vero provinciarum principibus, ſive metropolibus, quas *proconſules*, ſeu *præſides* regebant, *metropolitæ* in re Eccleſiaſtica provinciis præerant. Tandem in civitatibus principibus diœceſeων *patriarchæ* conſtituti ſunt. Diœceſes Conſtantini ævo ex pluribus coaluerunt provinciis; eodemque tempore Imrium Rom. Orientale, atque Occidentale in 120. provincias, quæ 13. diœceſes conſtituebant, dividebatur; uti ex *Notitia Imperii*, qui liber circa Arcadii, atque Honorii tempora forte prodiit. *V. De Marca I.* 4.

§. 105. Verum inſtitutio Eccleſiarum Epiſcopalium, Metropolitanarum, & Patriarchalium ad Eccleſiam ſemper pertinuit: ac nonniſi exemplar dedit civilis politia, quod imitari liberum erat: adeo quidem, ut quandoque cum civili Eccleſiaſtica politia haud conveniſſe obſervetur. Ita in Occidente unus erat plurium civilium

diœcesewn patriarcha: atque in Romana Præfectura, quæ componebatur decem provinciis, unus Rom. Pontifex jure metropolitico, suburbicariis Ecclesiis præerat. Postmodum vero Romanæ Præfecturæ metropoles metropolitas habuerunt suos. Ita etiam in Africa metropolitica sedes sex provinciarum, erat Episcopi ordinatione antiquioris, si excipias Africam proconsularem, quæ Carthagine primatis sedem habebat. *Dupin. de antiqu. Eccles. discipl. diss.* 1. §. 9.

§. 106. Excitabantur novi episcopatus in provinciæ synodo, consensu episcopi, *can.* 53. *Cod. Afric.* Postmodum jus erigendi episcopatus, ac metropoles in Occidente Romani Pontificis fuit: falsæ enim Decretales habent, S. Petrum, & Clementem non solum episcopos instituisse, sed & metropolitas, archiepiscopos, primates, & patriarchas, proprie dictos, *can.* 2. *dist.* 80. *can.* 1. *dist.* 99. At quoniam ecclesiarum mutatio civilem quodammodo tangit politiam, Principis consensus adsit, oportet.

§. 107. In altero ecclesiasticæ hierarchiæ gradu presbyteri sunt; seu sacerdotes secundi ordinis, & ab episcopo dependen-

tes

tes in ordinis officiis exercendis, *Conc. Laod. can.* 57. Inter eos Divino Jure nulla prærogativa: sunt vero nonnulli gradus Ecclesiastico Jure constituti; unde *archipresbyteri*, *parochi*, *pænitentiarii*, *canonici*.

§. 108. Inter episcopos, ac presbyteros distinctio est, non quidem ab potestate ecclesiastica, uti hæretici somniarunt, sed ab institutione divina, *Bingham. orig. II. 1. Petav. de eccles. hierarch. I. 2.*: tametsi alicubi olim ii, qui ad apostolatum assumti fuere, alio migrantes, Ecclesiis, quas fundabant, presbyteros præponebant; qui vere presbyteri, propterea audiebant *episcopi*. *Epiphanius hær.* 75. Hujusmodi erant presbyteri Philippenses.

§. 109. Postremus hierarchiæ gradus diaconos complectitur: qui tertii ordinis Sacerdotes, ab apostolis instituti, *Act. VI.* (non tantum ob temporalia, sed & ob sacrum ministerium), serviunt episcopis, ac presbyteris (§. 135.) Ex institutione apostolica inter se æquales erant: ex ecclesiæ auctoritate *archidiaconus* institutus: immo diaconatus officia quædam ad *clericos minores* data sunt. Extant quoque non ordine, sed officio tantum clerici: nec-

necnon alii ſola tonſura, & habitu. Ab his poſtremis exordiri conſtituimus, & gradatim ad eccleſiaſticæ hierarchiæ faſtigium oratione pervenire. Tandem, quæ generatim ad omnes pertinent, explicare.

CAP. III.

DE CLERICIS TONSURA, ET HABITU INITIATIS.

§. 110. PEr quinque Eccleſiæ Sæcula neque tonſura, neque veſtibus Clericos diſtinctos fuiſſe, vel ex eo conſtat, quod *clerici aut ordine*, *aut officio fieri* dicebantur, *Thomaſin. p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 34. Tum tonſura, atque habitus ſimul cum aliquo ordine, præſertim Lectoratu (quem pueri nullo negotio obire poterant, *Auguſt. lib. de conſenſu Evangeliſtarum cap.*10.), conferri cœpit, *Morin. de ſacris ord. p.* 3. *Exercit.* 15. *c.* 3. *Mabillonius præfat.* 1. *in Sæculum III. Benedict. n.*19., & *Chriſtianus Lupus in ſcholiis ad can.* 13. *Concilii Oecumenici VII.* Tandem conferri ſeparatim ab ordine, VII. Sæculo, teſte Morino; ut pueri, qui epiſcopis inſtituendi, præſertim in Semi-

minariis, offerebantur, quique ob tenerum ætatis ordinari non poterant, separari quodam modo a laicis viderentur. *V. Jo. de Ioanne in hist. seminarior. Clericalium*. Quam rem explicatius tradamus, necesse est.

§. 111. Initio V. Sæculi Clericos nondum fuisse clericali corona donatos, testis est Hieron. *in Ezechiel. XIII.* 44., ubi docet, eos nec rasis esse capitibus, uti Sacerdotes Isidis, & Serapis, nec comam luxuriosorum more demittere; sed ita capillos attondere, ut operta sit cutis Et antea, cum in Ecclesiam rabies persequutorum dæseviebat, veri speciem non habet, Clericos sese certa nota reddere conspicuos voluisse. Optatus Milevitanus quoque *Lib.* 2. Donatistis vitio dedit, quod *capita raderent Sacerdotibus*, sive ut ita illi populo despectui essent, sive ut viderentur publici pœnitentes, quales esse Clerici non poterant. Consensit super hac re cum Occidentali Ecclesia Orientalis. *Auct. Const. Apostolic. l.*3., & *Eusebius II.* 22.

§. 112. Sane apud Ethnicos probro tonsuram fuisse, constat. Hinc monachorum plerique humilitatis studio, vt aliis se

ſe deſpicatui præberent, caput tondere, & radere conſueverunt, *S. Paulinus ep.* 4., & 7. Ab iis eam humilitatis ſpeciem arripuere Clerici, monaſticæ perfectionis æmulatores. At non ſolum monachorum, Clericorumque tonſura erat, ſed & pœnitentium, *Conc. Tolet. III. can.* 12. Itaque inſtituta Clericorum tonſura fuit, qua detonſo (indeque raſo quoque *can.* 21. *diſt.* 23.) ſuperius capite, inferius capillorum circulus relinqueretur, *Synod. Tolet. IV. ann.* 636.: ac tonſura (cum habitu) inſigne Clericorum fuit: voluitque Alexander III., ut qui Clerici barbam, & comam nutrirent, vel inviti a ſuis archidiaconis tonderentur, *cap.* 7. *de vit. & honeſt. Cleric.* Synodus Eboracenſis anno 1194. Clericos comam nutrientes beneficiis ſpoliavit. Tandem inductum, ut non æqualis cuiuſque ordinis eſſet tonſura, *cap.* 15. *Ex. de vita & honeſt. Cleric.*

§. 113. Coronæ autem Clericalis ſignificationes multæ ſunt. Nimirum & humilitatis profeſſionem ea indicat, unde ortum habuit; quo intuitu imitationem opprobriorum Chriſti ſignificat; & regiam Sacerdotis dignitatem; temporaliumque

que curarum vacuitatem: demum ex S. Thoma ob circularem figuram omnium perfectissimam, sanctimoniæ Clericorum perfectionem indigitat. Certe tonsura signum est mancipationis in Dei servitium, & adoptionis in sortem Domini; sicuti patet ex verbis *Psal.* 15., quæ Clericus profert, dum attondetur, *Dominus pars hereditatis meæ &c.* Apud Langobardos quoque iis, qui in servitutem tradebantur, & qui adoptabantur, tondebantur capilli. *Hallerius Lib. III. Ecclesiast. Hierarch. sect. 3. art. 3.*

§. 114. Primis quoque Sæculis ad quintum usque, distinctis vestibus Clerici minime utebantur, *Heinecc. de habitu Apostolor. Sacerd.* Cælestinus Pontifex in Gallianos episcopos scripsit *epist. 2. ad Episcop. Galliar. cap. 1., discernendi a plebe sumus doctrina, non veste. Non est imponendum oculis, sed mentibus infundenda præcepta.* Et auctor *de Eccles. Hierarch*, sub nomine Dionysii *cap. 6.* monachorum habitum, tonsuramque describens, nullum verbum habet de vestibus Clericorum. Synodus quoque Carthag. IV. quum nihil eorum omitteret, quæ officii Clericorum essent, quoad vestes, solam iis mode-

destiam injunxit. Et quidem in re vestiaria mediocritas iis nunquam præscripta non fuit. Hieronymus Nepotianum suum sic admonebat *ep.* 2.; *ornatus*, *&* *sordes pari modo fugiendæ sunt*. Cum vero barbaræ Gentes Italiam invadentes, novis, curtisque vestibus uterentur, Clerici antiquas retinuerunt, *Fleur. Inst. Jur. Can. p.* 1. *c.* 5. (maxime quia Rom. Pontifices a Langobardis diffidebant, Græco addicti imperio); & sub Sæc. VI. finem propriis insigniebantur, *Thomassin. p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 45.. Cæterum nunquam destitit Ecclesia Clericos admonere, ut neque in distincta hac veste aut luxum quærerent, aut mollitiem adfectarent, *Conc. Later. II. can.* 3. *V. Thomassin. c.* 47., qui observat, ab Sæc. XIV. colorem nigrum, vel ad nigrum proxime accedentem, factum fuisse vestium Clericorum communem. Habitus distinctio invaluit & apud Græcos Sæculo VII. *Conc. Trull. can.* 27.

§. 115. Tonsurati postea adeo privilegiis Clericorum participes evasere, *Innoc. III. cap.* 11. *de ætat.*, *&* *qualit. præficiend.*, beneficiis, & fori privilegio, ut ipsimet adulti sæpenumero tonderentur,

tur ; & quidem ab episcopis Sæculo X., vel Abbatibus, qui essent presbyteri, ac benedicti, *d. c.* 11.: cum antea a presbyteris, immo & a laicis datam fuisse tonsuram, censeat Mabillonius. Tridentini Patres *sess.* 23. *c.* 4. iis tonsuram conferri voluerunt, qui ex probabili conjectura Deo fidelem cultum præstare arguuntur.

§. 116. A Græcis usque a veteri ætate tonsura simul cum Lectoratu collata est, *Morin. de sacris ord. part.* 11.: ut sæpe *tondere* significet *ordinare*, uti in Conc. Nicæno *II. can.* 14. anno 787. habito. Ac Synodus Trullana an. 692. eum divinas scripturas in suggestu recitare voluit *can.*33., qui *sacerdotali tonsura usus fuerit*, & εὐχολογίαν *benedictionem a suo pastore canonice susceperit*. Quod si manus impositionem Synodus siluit, observandum est, Lectoratus ordinem ob adnexam tonsuræ benedictionem, Græcos *per sigillum*, hoc est κατ' ἐξοχὴν per signum crucis conferri dixisse. *Morin. exercit.* 14. *c.* 4.

§. 117. Apud nos ex novissimo Concordato tonsurati privilegiorum clericalium expertes sunt, nisi in Seminario quodam,

vel

vel Universitate, ut ad suscipiendos ordines instituantur, studiis incumbant, vel nisi episcopi mandato Ecclesiæ cuidam serviant.

§. 118. Præterea constitutum Concordatis est, tonsuram iis conferri, qui post 10. ætatis annum clericalem habitum induentes, Ecclesiæ per triennium episcopi jussu festis diebus servierint, vel in Seminario fuerint. Hoc vel de ipsis *arctatis* accipiendum, scilicet & qui passivum ad ecclesiasticum beneficium jus patronatus habent, et qui sine passivo jure, in eadem familia sunt cum patronis activis, & ab his intra legitima tempora nominati. Ita censuit Tribunal Mixtum die 23. Augusti 1753. *Carol. Gagliard. Lib. I. tit.* 31. *n.* 29.

§. 119. Tridentini Patres *sess.* 23. *de Ref. c. 6.* beneficium nonnisi 14. ætatis anno cuiquam vel Clerico, conferri voluerunt. Quare impuberes arctati, ut simul cum tonsura beneficium acquirant post Tridentinam Synodum fundatum, pontificia, & regia ætatis dispensatione opus est. Cum vero in beneficiis ante eam Synodum erectis dicta ætas necessaria non sit, ex Concordato *cap.* 4. *art.* 5.; hinc

 ar-

arctati septennes sine dispensatione illa privilegio jurispatronatus acquirunt.

C A P. IV.

DE CLERICIS MINORIBUS.

§. 120. Ex diaconatu, Sæculo III. ineunte, moribus potius, quam Ecclesiastico quodam decreto, minores Clerici prodiere; qui proinde in diversis Ecclesiis non eodem erant numero, *Bingham. Orig. III.* 1. Sane liberum Ecclesiæ erat, quæ ad disciplinam pertinent, æquius melius ordinandi. In Romana quinque eorum gradus, nimirum *hypodiaconi*, *acolythi*, *exorcistæ*, *lectores*, & *ostiarii*. Verum hypodiaconi in quibusdam Ecclesiis latinis inter majores Clericos IX. Sæculo: tum exeunte Sæculo XI. ab Urbano II. generatim inter sacratos relati sunt, *cap. 9. X. de ætat. & qualitat. ordinand.* Perperam nonnulli, id factum existimant, cum continentia hypodiaconis injuncta fuit, h. e. VI. Sæculo, in Occidente, uti mox dicemus: nam minores adhucdum erant. Veteris disciplinæ vestigium videre est in hypodiaconi ordinatione

ne sine impositione manum.

§. 121. Infimum gradum habent Ostiarii, seu janitores, æditui, qui Ecclesiæ januas custodiebant. Eos forte Ecclesia Salomonem imitata, *Paralip. I.* 23. constituit. De eorum officio luculentissime Isidorus Hispalensis *can.* 1. *dist.* 25., *ad Ostiarium pertinent claves Ecclesiæ . . . . fideles recipiat*, *excommunicatos*, *& infideles ejiciat*: quæ tamen verba non ita sumenda sunt, ut quo tempore aliquid recitabatur e sacris Litteris, aut verbum Dei prædicabatur, hæreticos, Judæos, gentiles Ecclesia exclusos putemus; eos namque interfuisse, ostendunt Patres suis Homiliis, quibus sæpenumero eos compellant. Quanta fuerit in Ecclesia Ostiariatus dignitas, ex eo intelligimus, quod Thesaurarii munus, hodie præstantissimus, ad Ostiarios olim pertinuerit: unde Thesaurarius erat veluti Ostiariorum Princeps; cui illi suberant *can.* 1. *dist.* 25. Cæterum Ostiariorum officium jam prope desuevit.

§. 122. Lectores e suggestu, postquam præco verbo *attendamus* silentium auditoribus indicebat, *Chrysost. hom.* 19. *in acta Apost.*, sacras Scripturas prælegebant.

Quum Evangelium legebatur, Clerum, & populum adſurgere, mos fuit, *Conſt. Apoſt. II.* 57., *&* *Sozomenus VII.* 19. Fuiſſe in quibuſdam Eccleſiis certum quoddam Lectorum corpus, arguitur ex mentione *Archilectoris in ſeſſ.* 14. *Conc. Chalcedon.* Adeo autem Lectorum ordo præſtitit, ut Julianus, poſtea apoſtata, ejuſque frater Gallus, Lectores conſtituti fuerint, *Nazianzen. orat. in Julian.* Infantuli quoque Lectorum officio fungebantur, uti de S. Felice Nolano prodit Paullinus, *Natal. IV. S. Felic.* Juſtinianus 18. annum iis præſtituit *Nov.* 123. *c.* 13.: quod non obtinuit, *Leo Conſt.* 16. *Balſamon Schol. ad Photii Nomocan. tit.* 1. *cap.* 24.

§. 123. Exorciſtæ in malis dæmonibus ab obſeſſis adjurandis toti erant, *Origen. contra Celſ. Lib.* 7., *Tertull. Apolog. cap.* 23., *Ulp. L.*1. *de variis, & extraord. cognit.* Idque poſt III. Sæculum: nam antea omnibus Chriſtianis id licebat, *Orig. Lib.* 7. *contra Celſum*, *Tertull. apolog. c.* 23. Tandem ad majores Clericos hoc delatum fuit.

§. 124. Jam Acolythi ſunt ſervi juvenes, ſive pediſſequi, Epiſcopum comitantes, *Duaren. de ſacr. miniſt. I.* 14. Ii

Cy-

Cypriani ævo litteras episcoporum ad episcopos deferebant, *Cypr. Lib.* 2. *ep.* 8. & 9. Postea iis datum est luminaria accendere in Ecclesia, eaque ferre, unde *ceroferarii* audiunt *can.* 1. *dist.* 21.: vinumque ob Eucharistiam præbere, *Conc. Carthag.IV.can.6.* In Ecclesia Romana, & alicubi, erat quoque Archiacolytatus, *Benno Card. in vita Gregorii VII.*, *Luitprand. Hist. V.6.* At Acolythorum officium hodie passim obeunt homines nullis ordinibus initiati.

§.125. Acolythi, Exorcistæ, Lectores, & præcipue Psaltæ, sive Cantores, de quibus infra, in Ecclesia Latina suberant Primicerio, *d. can.* 1., qui aliquando *Chori inspector*, & *Præcentor*, dictus est. Jam ante Tridentini tempora *sanctorum ordinum a Diaconatu ad Ostiariatum functiones pluribus in locis intermissæ* erant; quas proinde Concilium *sess.* 23. *c.* 17. *de ref.* jubet *revocari in usum juxta sacros canones*. Nondum vero restitutam veterem Ecclesiæ disciplinam, recte queritur Cardinalis Bona *Rer. liturg. I.* 25. *n.* 18.

§. 126. Hæc minorum ordinum ministeria *ad ipsum Ecclesiæ initium* refert Tridentinum *sess.* 23. *c.* 2. Num ad A-

postolos? Affirmant Baron. *ad ann.* 44. *n.* 78. Bellarminus *de Clericis I.* 11., & Schelstratus *Concil. Antioch. restit. Diss.* 4. *c.* 17. *art.* 2. Verum Ignatii Martyris S. Johannis Evangelistæ discipuli Epistola *ad Antiochenos*, quam ii laudant, apocrypha quidem est: nulla enim ejus mentio fit apud veteres Patres, præter Eusebium: & Apostolicarum Constitutionum, quas laudant etiam, Auctor, cujus fuerit ætatis, jam diximus (§.53.). Minores autem ordines sua origine, h.e. quatenus Diaconatu comprehendebantur, Apostolicæ institutionis esse, communis fert opinio.

§. 127. Certe duobus prioribus Sæculis Ecclesiasticam hierarchiam Episcopis, presbyteris, ac diaconis constare, ab Ignatio martyre, aliisque proditum est. Primus Tertullianus Lectores memorat, *de præscript. c.* 41. Hypodiaconi vero, Exorcistæ, & Acolythi non occurrunt ante Cypriani epistolas 24.26.78.79., & epistolam Cornelii P. *ad Fabium Antioch. apud Euseb. Hist. Eccles. VI.* 43. circa ann. 252., quæ etiam Ostiarios habet.

§. 128. Similiter Græci minores ordines habuerunt post Clementis Alexandri-

drini ætatem, non item ætate Apostolorum, sicuti ex supposititiis monumentis quidam scripsere. *V. Morin. de Sacr. ord. exercit.* 14., *& Thomassin. par.* 1. *Lib.* 11. *cap.* 30. Verum e Lectoratu apud Græcos ad hypodiaconatum promoti, *Damascenus Dial. contra Manichæos*. At eorum hypodiaconatus comprehendit Acolythatum, & Ostiariatum Latinorum, observante Benedicto XIV. *Const. etsi pastoralis tom.* 1. *Bullar.* §. 7. Quod si erant olim Græcorum Exorcistæ, atque Ostiarii (nunquam Acolythi), in officio ii, non in ordine fuere, *Mor. d. loc. Thomassin. p.* 1. *Lib.* 2. *cap.* 31.

C A P. V.

DE MAJORIBUS CLERICIS.

§. 129. MAjores Clerici sunt Subdiaconi, Diaconi, Presbyteri.

SUBDIACONI.

§. 130. Hypodiaconos primum meminit Cyprianus *in epistolis* inter Latinos, Athanasius inter Græcos *ep. ad solit. vit.*

ag. Ii olim inter minores Clericos fuere: adeout in Ecclesia Latina, uti nunc etiam in Græca, extra altare, ac Sanctuarium ordinati fuerint. *Amalarius de divinis officiis II. 6.* Et adnotare juvat, eos semper sine χειροτονία, *manuum impositione* fuisse ordinatos. Quare Basilius ἀχειροτονήτους nuncupat *Ep. Canon.* 51. Idem evincitur ex *Conc. Carth. IV. can.* 5.

§. 131. Plerique putant, cum perpetuæ continentiæ lex imposita Subdiaconis fuit, tunc inter majores ordines subdiaconatum esse cœpisse. At splendide halucinantur. Cœlibatus subdiaconis indictus fuit can. 33. Conc. Illiberitani, quem neque Hispaniæ, neque aliæ Gentes receperunt. Tum indictus a Leone I. *ep.* 12., ac VI. Sæculo generaliter a Gregorio I. *Lib. I. ep.*42.: & tamen ii inter minores Clericos referebantur IX. Sæculo, cum floruit Amalarius (non Fortunatus archiep. Trevirensis, uti multi putant cum Morino *Exerc.* 11. *c.* 6., quem mortuum anno 814. ex Annalibus Francorum constat; sed Ecclesiæ Metensis Diaconus, qui anno 827. libros scripsit *de divinis offic.* Adde, Morinum *d. loc.* demonstrare, Sæculo XI. exeunte, alicubi ma-

majorem ordinem Subdiaconatum fuisse, alicubi minorem.

§. 132. Innocentius III. in *cap. 9. de ætat., & qualit. ord.* de hac re differens, refert decretum (quod & Gratianus facit *can. 4. dist. 60.*) Urbani non I., sed II.: nam apud Ivonem, atque in Panormia decretum hoc recensetur ex Synodo Beneventana sub Urbano II., qui XI. Sæc. Pontifex fuit. Ex decreti verbis patet, subdiaconatum nondum sacris ordinibus accenseri: opus enim esse dicitur *R. Pontificis, vel Metropolitani licentia*, quo subdiaconi *in episcopos eligi* queant. Innocentii verba sunt, *quum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computetur, sicut Urbanus II. expressit*: fortasse *expressit* post tertium Pontificatus annum, quo Synodum Beneventanam habuit. Cur igitur Thomasinus *p. 1. Lib. 2. c. 33.*, & Espenius *p. 1. L. 1. tit. 3.*, cum duo Urbani II. pugnantia decreta esse dicant, Innocentium III., scribunt, subdiaconos inter majores Clericos retulisse?

§. 133. Quoad subdiaconorum officia pertinet, ii antiquitus, non secus atque Acolythi, ad Episcopos Episcoporum litte-

teras deferebant; uti ex Cypriani epiſtolis manifeſtum fit: ad januas Eccleſiæ ſtabant, unde ingrediebantur mulieres; ſicuti Diaconi ſtabant, unde ingrediebantur viri; vetabantque, ne oblationis tempore exiret quis, aut intraret, *Conſt. Apoſt. VIII.* 11. Tum oblationes ſuſcipiebant, *& Levitis* ideſt Diaconis, *ſuperponendas altaribus deferebant*, *can.* 1. *diſt.*25.: quod præcipue factum a ſubdiaconorum primo, quem Latini *oblationarium* dixere, Græci *Domeſticum Subdiaconorum*. Et generaliter Græcis *Domeſticus* eſt alicujus Collegii præfectus: hinc *cantorum*, ac *ſcholarum Domeſticus*; *Bulenger. de Imperio Rom. IV.* 38. Archiſubdiaconatus quibuſdam Eccleſiis inſtitutus legitur in ordine Romano, & in Synodo Antiſſiodorenſi.

§. 134. Hodie, uti & olim, Diaconis Subdiaconi in ſacra liturgia miniſtrant, *can.* 5. *Conc. Carth.IV.*, *Iſidorus Hiſpalenſis apud Gratianum can.* 1. *diſt.* 25., *& Pontificale Rom.*

DIACONI

§. 135. Diaconi, ſeu *miniſtri*, ſtricto ſenſu ſunt tertii ordinis ſacerdotes, qui ſa-

sacris operantibus presbyteris proxime ministrant. *Levitæ* etiam audiunt: in Ecclesia enim præstant, quod in Synagoga olim Levitæ, *can.* 1. *dist.* 21. Generatim vero in novo Testamento Diaconi nomine omnes sacro ministerio addicti donantur, h. e. episcopi, & presbyteri, *Act. I.* 25., 2. *Cor. VI.* 4.

§. 136. Diaconi ab Apostolis occasione murmuris Græcorum instituti fuere, sed ut non solum mensæ communi, verum etiam ut mensæ Eucharisticæ inservirent. *Act. VI.* Unde nonnisi impositione manuum ordinati fuere. Recte hinc colligunt Theologi, Diaconatum esse Sacramentum; & jure definivit Tridentinum *Sess.* XXIII. *cap.* 4. *can.* 6., in Ecclesia esse *Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris, & ministris*. Adposite, *Diaconos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui, & Ecclesiæ ministros*, ait Cyprianus *in can.* 25. *dist.* 93. Quin aucto Christianorum numero, adeo Diaconorum officia excrevere, ut sacerdotes sine iis nomen, non officium habere viderentur, *Isidor. de divin. offic. II.* 8.

§. 137. Ab Apostolis septem Diaconi in-

instituti fuere: & in eo numero permanserunt apud plures Ecclesias, præsertim Romanam usque ad V. Sæc., *Sozomen. VII.* 19. *Auctor. comm. in* 1. *ad Timoth.* 3.; qui auctor Comm. in epistolas S. Pauli, non Ambrosius est, sed Hilarius Sardus Ecclesiæ Rom. Diaconus, *Nat. Alex. in Sæc. IV. art.* 14. Eumdem numerum etiam in quavis magna civitate statuit Synodus Neocæsariensis can. 15.: sed varium alibi Diaconorum numerum, uti ubique est hodie varius, fuisse suo tempore, tradit Sozomenus idem.

§. 138. Diaconorum officia qua in temporalibus, qua in spiritualibus, vel in Ecclesia, vel extra explebantur. Et quidem in Ecclesia oblationes recipiebant, eorumque, qui obtulerunt, nomina recitabant, *Hieron. in Ezechiel.* 18.: quæ recitatio *nominum oblatio* audiebat, *Bona Rer. Lit. II.* 8. Alicubi Evangelium legebant, *Const. Apost. II.* 57., aliosque intus Ecclesiam continebant in officio. Baptizabant quoque, & prædicabant, sed ex episcopi licentia, *Act. VI. v.* 10, *& VIII. v.* 5. *Tertull. de Bapt. c.* 17. Præcipue episcopo, ac presbyteris in sacra liturgia ministrabant: ac II. Sæc. corpus, & sanguinem Christi

sti laicis, non item presbyteris, *Conc. Nic.* c. 18., præbuerunt, *Justin. martyr. apolog.* 2.; tum tantum sanguinem: corpus vero nonnisi jussi, si presbyter præsens fuerit, *Conc. Carthag. IV. can.* 38. Hanc distributionem vox *oblatio* significabat; non vero *consecrationem*, uti putat Grotius *diss. de administr. sacræ cœnæ &c.* Immo verba *dominici sanguinis consecrationem* apud Ambrosium *de offic. I.* 41. distributionem ipsam denotant, seu *sanguinem consecratum*. *Bona I.* 25. Certe Diaconi nunquam consecrandi potestatem habuerunt. *Ad ministerium, non ad Sacerdotium consecrantur*, *Conc. Carth. IV. can.* 4. Missam Cathecumenorum celebrarunt, *Cassian. Lib.* 11. *Inst. c.* 15., quæ fuit prima nostræ Missæ pars ad Offertorium usque, *uti ex Conc. Carth. VII. can.* 48.

§. 139. Extra Ecclesiam Diaconi mandato episcopi bona Ecclesiastica tribuebant; eleemosynas erogabant (unde loca egentibus personis destinata *Diaconiæ* dictæ sunt); populi mores episcopo referebant; episcoporum mandata portabant; ac episcopos comitabantur, præsertim in Synodis generalibus, ubi scribæ, & disputatores esse solebant. Quare sæpe dicti sunt *ocu-*

oculi, *aures*, *os*, *dextra*, & *cor episcopi*, *Const. Apost. II.* 44. *Isidor. Pelusiota*, *Lib.* 1. *ep.* 29. Hodie vix in sollemni missa ministrant. *V. Pontificale Romanum.*

PRESBYTERI.

§. 140. *Presbyteri*, h. e. *senioris* vocabulum potius sapientiæ est, quam ætatis, *Hieron. in Isai.* 3. A sacris, quibus ii operantur, *Sacerdotes* quoque dicti sunt, *Var. L.* 4. *de L. L.*: quæ nomina generaliter episcopis quoque aptata olim fuere, *Cypr. ep.* 33., ipsique Apostoli πρεσβύτεροι nuncupantur, *I. Petr. v.* 1., *II. Timoth.*2.; immo omnes Clerici, *Balsam. in can.* 15. *Ancyr.* Verum significantius episcopi *summi sacerdotes*, vel *sacerdotes primi ordinis* dicti sunt, presbyteri *sacerdotes secundi*, vel *secundi ordinis*, *Sidon. Apollinar. Lib.* 4. *ep.* 11. *Tertull. de Bapt. c.* 17. Viceversa *episcopi* nomen aliquando datum presbyteris, *Chrysost. Hom.* 1. *in Philippens. cap.* 1.; *can.* 6. *dist.* 95.

§. 141. Servator noster in ultima cœna, cum Apostolis eucharistiæ consecrandæ potestatem dedit, presbyteros instituit, *Trid.*

Trid. seff. 31. *de sacrific. Missæ c.* 1. Unde olim plerumque 12. in una Ecclesia erant ex Apostolorum numero, *Grot. ad Apocalypf. v.* 5. *&* 7. Presbyteri autem, qui semper ab episcopis discriminati sunt, omnia, excepta ordinatione, peragere possunt, quæ episcopi, *Chrysost. Hom. XI. in* 1. *ad Timoth.*, *Hier. ep. ad Evag.*, spectata nimirum ordinis potestate. Attamen episcopi, cum iis Ecclesiæ regimen divinitus datum esset, libera potestate gaudent: presbyteri vero, cum adjutores episcoporum sint, potestate in ordinatione recepta episcoporum nutu uti debent, *can. Apost.* 40., *Ignat. mart. ep. ad Smyrnæos*; ne quot presbyteri, tot schismata in una eademque essent Ecclesia. Olim in singulis actibus presbyteri indigebant episcopi venia. At ex nova disciplina parochi semel ab episcopo animarum curam recipiunt.

§. 142. Contra melioribus Sæculis erat Senatus Ecclesiæ seu πρεσβυτεριον, qui presbyteris, præside episcopo, componebatur, in eoque omnia expediebat episcopus. Quapropter presbyteri dicti sunt *episcopi consiliarii*, *Ecclesiæ corona*, *Const. Apost. Lib.* 11. *cap.* 32., *compustores*, *Chry-*

Chrysost. serm. de pseudo-prophetis. Videte *Bing. Lib. II. c. 19. orig.*, *& Claud. Fontejum*, *seu Jac. Boileau de antiq. jure presbyteror. in regim. ecclesiastico*. In presbyterio sedes episcopi erat *thronus celsus*. Presbyterii autem auctoritas postea transiit in Capitulum canonicorum Cathedralis Ecclesiæ.

§.143. Ex Pontificali Romano presbyterorum potestas est *offerre*, *benedicere*, *præesse*, *prædicare*, *&* *baptizare*. Nimirum *offerre* spectat ad Sacrificium Eucharisticum, quod olim presbyteri nonnisi cum episcopo suo offerebant, Diaconis, ac reliquis Clericis, unoquoque in suo ordine, sacris mysteriis ministrantibus. Hæc fuit communio Ecclesiastica passim a veteribus Patribus memorata, cujus privatio pœna erat in Clericos delinquentes; qui nunc ad inferiorem gradum dejiciebantur, nunc, si ita postularet facinoris gravitas, omnis gradus exsortes erant, atque ad laicam communionem redacti censebantur. Hujus communionis vestigium videre est in ordinatione episcoporum, & presbyterorum, *Bona* §. 18. *Morin. de sacr. ord. p.* 1. *exercit.* 8. *cap.* 1. *Benedicere* non significat sollemnem benedictionem, quæ episcoporum

rum est, sed minus sollemnem; quæ absente episcopo emitti a presbyteris potest, *can.* 65. *de consecr. dist.* 1. Verum quædam ex his benedictionibus ad parochos hodie pertinent, *Bened. XIV. instruct. pastoral.* 21. *Præesse* in ecclesiasticis functionibus: quod intelligendum sub episcopis; cum quibus presbyteri antiquitus Ecclesiam administrabant. *Prædicare* verbum Dei, sed Episcopi auctoritate, ad quem proprie ea res pertinet. *Baptizare*; nimirum sacramenta, quæ conferre episcoporum proprium non est, episcopi consensu administrare, *Const. Apost. Lib.* 12. *cap.* 11.

C A P. VI.

DE EPISCOPIS.

§. 144. HActenus septem Ecclesiæ Latinæ ordines recensuimus. Cum vero non solum Diaconis, & presbyteris, de quibus egimus, Ecclesiastica constet hierarchia, verum etiam episcopis (§. 102.), in quibus sacerdotii plenitudo est, de his hoc loco non incommode agere constituimus; ut sequenti ca-

 pite

pite de Clericis officio, ac dignitate inter se distinctis, sermo instituatur.

§. 145. Christus, summus Sacerdos, Apostolos in suprema cœna Sacerdotes novæ legis ordinavit, *Matth.* XXVI. 26. quod Sacerdotium auxit, quum post suam resurrectionem iis jus dedit remittendi, ac retinendi peccata, *Joh.* XX. 23. Hinc eos misit eadem potestate, qua ipse a patre missus erat, ut Ecclesiam æternum duraturam regerent. *Matth.* XXVII. 20. *Joann.* XX. *v.* 21. (§. 41.) Quare Apostoli alios assumserunt in apostolatus ministerium, ac sibi successores constituerunt, qui *episcopi* dicti sunt, seu *inspectores*. Horum varia nomina habes præcipue apud Bingham. *Orig.* *L.* *II.* *c.* 2. Spiritus vero in Apostolos a Christo insufflatus, ab iis per χειροθεσίαν, *manuum impositionem* diffusus est in succcessores; uti etiam erat ex Mosaica lege, *Deut.* XXXIV. 9. Quare *episcopatus unus est*, quoad eamdem divinam potestatem Ecclesiæ regendæ, *a cujus singulis in solidum pars tenetur*, scilicet quoad modum ab Ecclesia statutum illius potestatis exercendæ, ait Cyprianus *de unit. Eccles.* Hæc est plenitudo sacerdotii, quæ ad episcopos, tanquam

quam Apostolorum successores, a Christo directe descendit: unde Ecclesiæ regimen Episcopis per Spiritum S. demandatum est, *Act.* XX. 28. Veterum nonnulli scripsere, per Petrum cæteris Apostolis communicatas claves fuisse, *Leo M. serm.* 3. *anniverʃ. aʃʃumtionis ʃuæ cap.* 1., *Optat. contra Parmenian. Lib.* 8.: hac tamen mente, claves consensu cum capite esse administrandas, ob Ecclesiæ unitatem.

§. 146. Hac eadem ratione duo simul in una urbe episcopi esse nequeunt, ne schismata oriantur. Quod ex Apostolorum facto probatur, *Dartis de ʃtatu Ecclesiar. temp. Apoʃtolor.*, & confirmatum fuit a Conc. Nicæno I. *can.* 8. Sin Ecclesiæ necessitas, vel utilitas secus postulet, ea regula, incolumi tamen Ecclesiæ unitate, cessat, *Bevereg. in d. can.*, *Bing. Lib. II. c.* 13. §. 11. An Neapoli duo olim fuerint episcopi, latinus unus, alter Græcus, vide Mazochium nostrum, *Comm. ad Kal. marm. Ecclef. Neap. die* 15. *Jun.* & *Diʃʃ. de Cath. Eccleʃ. Neap. ʃemper unic.*

§. 147. Episcoporum potestas spiritualis est, nullo locorum, personarumve discrimine: cum Apostoli in universum

mundum missi fuerint. *Marc. XVI. v.* 15.: tametsi Apostoli ad Evangelium facilius disseminandum, Orbem inter se se diviserint; potius Spiritu S. impellente, quam sortito, uti ex Rufino *Hist. Eccl.* §. 9. Socrates §. 19. *V. Baron. ad ann.* 44. *n.* 20. Quapropter licet eorum potestas nullis fuerit limitibus coërcita, attamen vel ab ipsis Apostolorum temporibus, uti ait Cyprianus *de unit. Eccles.*, ad confusionem evitandam, certis conclusa est finibus, *caus.* 9. *qu.* 2.; *Trident. sess.* 6. *de Ref. c.* 5., nimirum paroecia, seu dioecesi. Quod si Ecclesiæ salus postulet, pristinam potestatem recipiunt episcopi, & ubique evangelizant, *Cypr. ep.* 68. *ad Steph.*

§. 148. Erant olim & episcopi *honorarii*, qui ad nullum certum locum, sed honoris causa consecrabantur, *Sozomen. VI.* 24. Consecrari etiam a Sæc. circiter XII. solent episcopi *titulares*, qui nomen habent, non, cui præsint, Ecclesiam: idque præsertim fit ad memoriam servandam sedium ab infidelibus occupatarum, *Thomassin. p.* 1. *Lib.* §. *c.* 27. *& alibi*, *& Bened. XIV. De Syn. Dioeces. II.* 7.

§. 149. Quæ *ordinis* sunt, a *jurisdi-ctione*,

ctione, in episcoporum potestate divisim considerari solent, ex quo confirmatio ab eorum ordinatione separata fuit. Potestas *ordinis* ea respicit, quæ episcopo vi ordinationis suæ competunt. Ad eam maxime pertinet ordinatio, & quædam alia ordinationi proxima, puta Ecclesiasticarum ædium, atque altarium consecratio, Ecclesiarum pollutarum reconciliatio, chrismatis confectio, confirmatio, nonnullæ benedictiones, & consecratio Virginum, ac viduarum; de quibus proprio loco agemus. Potestas vero *jurisdictionis* spectat, quæ ad externum Ecclesiæ regimen referuntur, *Espen. part.* 1. *tit.* 14. *cap.* 5. Quin *lex jurisdictionis* dividi solet a *lege diœcesana*: illa enim est ordinis, ac juris dicundi potestas: hæc in res temporales, & jura episcopo debita, uti synodaticum, procurationes.

§. 150. Augustinus *de Civ. Dei XIX.* 19. explicans verba Paulli *I. ad Timoth. III.* 1., inquit, *episcopatum nomen operis, non honoris esse: ac episcopum non esse, qui præesse dilexerit, non prodesse.* Nulla quidem sacri ministerii pars est, quæ in episcopatu non contineatur: cæteri ministri in partem sollicitudinis pastoralis

vocati sunt, tanquam adjutores episcopi. Quapropter eorum residentia, ad quam ipso jure adiguntur, laboriosa, non otiosa esse debet, *Trident. sess.* 5. *de ref. cap.* 1., & *sess.* 23. *cap.* 1.

§. 151. Episcoporum est orare, orationum formulas concipere, miserabilium personarum (quæ *matriculariæ* olim dici solebant, *Jo. Launoi. opusc. de cura veter. Eccl. circa pauper.*) curam habere; pro reis apud civiles magistratus intercedere, *Espen. de intercess. episcopor. pro reis*; lites inter fideles, atque ecclesiasticas quæstiones dirimere, pœnas spirituales irrogare, chrisma, oleum sanctum, Ecclesias, sacras virgines consecrare, &, ut alia missa faciam, sacramenta administrare: quam provinciam prioribus VI. Sæculis ipsi per se obierunt episcopi: ac nonnisi iis impeditis, & delegantibus, presbyteri, ac diaconi, *Ignat. epist. ad Smyrnæos apud Coteler.*; sed labentibus Sæculis, parochis ac inferioribus presbyteris demandarunt. Præcipue de prædicatione, ac Diœcesis visitatione heic videamus.

§. 152. Propter verbi Dei prædicationem Apostoli mensarum servitium Diaconis commiserunt: *non est æquum, nos de-*

derelinquere verbum Dei, *& ministrare mensis*, uti *Act. VI. v.* 2. Id per quinque priora Sæcula episcopi perfecte expleverunt, testibus Basilio, Ambrosio, Augustino, Chrysostomo, aliisque episcopis. Augustino, cum adhuc is presbyter esset, primum a Valerio Hipponensi episcopo concessum fuit, ut coram se prædicaret, *contra consuetudinem Africanarum Ecclesiarum*; *Possid. in vit. August. c.* 4. Postmodum VI. Sæc., præsertim ob Barbarorum in Occidentem incursiones, unde ab Ecclesiis suis aberant, episcopi ferme conticuere. Multa proinde Concilia caverunt, ut episcopi vel per se, vel per alios concionari deberent, *Thomass. de benef. p.* 2. *L.* 3. *c.* 85., *Frid. Borromæ. de episcopo concionante*. Denique Tridentinum diserte statuit, *sess.* 24. *de ref. c.* 4., episcopos ad hoc explendum munus per se teneri, nisi legitimo distineantur impedimento: qua in specie eorum est seligere, quos ad prædicandum in sua Ecclesia assumant: *in aliis autem Ecclesiis per parochos*, *sive*, *iis impeditis*, *per alios ab episcopis*, *impensis eorum*, *qui eas præstare*, *vel tenentur*, *vel solent*, *deputandos &c.* Tum decrevit Tridentinum, *ut nullus sæcularis*, *sive regularis*,

 etiam

etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente episcopo, prædicare præsumat: quo abrogatum est ejusdem Concilii caput 2. *sess.* 5. *de ref.* Extat apud nos Regis Diploma anni 1744., quo Universitates eleemosynam concionatoribus præbere solitæ, tres ex iis episcopo diœcesano nominare debent, usque ad ultimum Novembris diem; ut unus ab eo eligatur.

§. 153. Tenentur quoque episcopi diœcesim perlustrare; idque per se facere tenentur, nisi justa ex caussa impediantur, *can.* 11. *caus.* 10. *q.* 1., *Trid. sess.* 24. *de ref. c.* 3.: atque hac in specie nonnisi delegata episcopi potestate alii visitant, *cap.* 1. *X. de offic. archid.*; præsertim archidiaconi, & decani, quorum tamen potestatem, ubi erat ordinaria, cohibuit Tridentinum; cavitque *d. loc.*, ut ii deinceps ex episcopi consensu notarium adsumant, per seipsos solummodo Ecclesias perlustrent, actaque visitationis intra mensem ad episcopum mittant.

§. 154. Visitatio episcopi tam late patet, quam pastoralis cura, & personarum, ne monachis quidem exceptis, *Synod. Aurelian. can.* 29. *caus.* 18. *q.* 2., & Ecclesiarum omnium, earumque bonorum, ho-

hospitalium, aliorumque piorum locorum, uti ex *Conc. Chalced. can.* 8., *&* *L.* 46. §. 3. *C. de episc.*, *&* *Cleric.* Olim ad morum, ac disciplinæ reparationem Synoda cogi ad hanc rem solebant, testesque *Synodales* jurati audiri.

§. 155. Labentibus Sæculis potestas isthæc episcoporum non parum defecit: cum a Pontifice exemtiones ab episcopi potestate inductæ fuerint, monachorum, Capitulorum, Ecclesiarum, hospitalium, immo singulorum Clericorum; cumque hospitalia, & alia pia loca sine episcopi auctoritate fundata ei subjecta minime censerentur. At Tridentinum voluit, ut episcopi, tanquam Apostolicæ Sedis delegati, visitarent Capitula, omnesque Ecclesias exemtas, exemtosque Clericos; necnon monachos extra monasterium si delinquant, *Espen. p.* 1. *tit.* 17. *c.* 3. Et insuper, ut visitarent hospitalia, & collegia, & confraternitates laicorum (sed non quæ sub Regum immediata protectione sunt), & pia loca omnia, licet laicis eorum cura incumbat, *sess.* 22. *de ref. cap.* 8. Verum hoc decretum receptum apud nos non fuit: atque ex novissimo Concordato, *cap.* 5.

art.

art. 1., episcopi tantum in spiritualibus possunt visitare Ecclesias, capellas, hospitalia, & confraternitates a laicis gubernata: quæ omnia *extaurita* dicuntur.

§. 156. Observandum est, in visitatione episcopum, quæ notoria sunt, summatim cognoscere; correctionesque potius, quam pœnas ordinarias irrogare: unde exemtio visitationem non excludit. Olim visitantes episcopos *missi dominici* comitari solebant, *Capit. Reg. Franc. II.* 26. Decretum autem Tridentini *sess.* 24. *de ref. c.* 10., quod sc. interposita appellatione a correctione in visitatione facta, executio minime suspendatur, non est receptum apud nos.

§. 157. Olim quoties expediebat, Jure novo singulis annis visitatio facienda est. Quod si ei impedimento sit diœcesis amplitudo, major pars quotannis, universa biennio visitari debet, *sess.* 24. *de ref. c.* 3. Visitantibus autem Episcopis alimenta, sive *procurationes*, præstanda sunt; sive in subjectionis signum, sive ob visitationis operam. Procurationes quoque episcopis olim datas fuisse ob bona ecclesiastica jure Feudi concessa, notavit præ cæteris Boëhmerus *Jur. Eccl. L.* 3. *tit.* 39.

39. §.90. *V. Cang. v. procuratio, mansio, parata, circada.* Quoniam vero sequiori ætate ii magno cum comitatu circumibant, atque ab Ecclesiis multa extorquebant, Tridentinum statuit, *d. loc.*, solummodo victualia frugaliter iis præstanda; immo gratuitas, si consuetudo ita postulet, esse visitationes. Quin victualia non deberi in visitatione cathedralis Ecclesiæ, sed dioecesis tantum, ex Concilii verbis *pro temporis necessitate*, censuit Congregatio ejusdem interpres, *Fagnan. ad cap. venerabili X. de censib.*

§.158. Adnotari debet, a procuratione differre *cathedraticum*, seu *synodaticum*, ita dictum, quia in Synodo, quæ quotannis celebrabatur, annua duorum solidorum pensio episcopo in cathedræ honorem ab Ecclesiis, & beneficiariis præstabatur, *Thomass. p. 3. L. 2. c. 5.* Neque a Tridentino hæc exactio vetita est, *sess. 24. de ref. c. 3.*; modo non in visitatione exigatur, uti censuit Congregatio. *Bened. XIV. de Syn. Dioec. V. 6.* Adhæc inter episcopalia jura referri solet etiam subsidium *caritativum* ob gravem aliquam necessitatem, *Alex. III. in Conc. Later. III. can. 4.*, *cap. quum Apostolus de cens. exact.*

§.159.

§. 159. Nunc de electione, confirmatione, & consecratione episcopi verba facienda sunt. Antiquitus comprovinciales episcopi in unum convenientes, adstantibus, ac testimonium dicentibus Clero, & plebe, episcopos eligebant, *Thomassin. p. 2. L. 2. c. 1. & seqq.* Similiter Provinciarum episcopi suos sibi archiepiscopos, & Patriarchas eligebant: necnon Clerus Rom., & plebs Romanos Pontifices. Laici vero tanquam testes erant: judices nonnisi episcopi, *can. 23. Syn. Antioch.*, *can. 3. Nic. II.* Quod de electione S. Martini Severus *in ejus vita c. 7.* ait, *multitudinem ad ferenda suffragia venisse*, id de postulatione accipiendum est.

§. 160. Cleri, & populi (quandoque vilis plebecula exclusa, *Just. Nov. 123. c. 1.*) testimonia requirebantur, ut de ejus, qui eligebatur, vita constaret; & præterea, ne episcopus invitis obtruderetur, *can. 13. dist. 61.* Verum a populo minus idoneum postulatum rejicere poterant episcopi, quos *docere populum, non sequi* oportere, Cælestinus inquit *can. 2. dist. 62.* Pro episcopis idcirco eligendis statim ad viduatas Ecclesias episcopum *Visitatorem*, seu *interventorem* (*can. 16.*,

&

& 19. *dist.* 61., *can.* 22. *cau.* 17. *q.* 1.) mittere solebant Metropolitani; quorum etiam erat episcopos Provinciæ ad eam rem convocare, *S. Greg. Lib.* 2. *ep.* 19. Aliquando episcopi sibi successores designabant, Clero etiam, & populo acclamante. Ita Augustinus Eradium, *Aug. ep.* 110., *Thomassin. p.* 2. *L.* 2. *c.* 55. *& seq.*

§. 161. Quibusdam ex caussis quandoque in Episcoporum electionibus Apostolica Sedes intervenit, etiam extra Rom. Patriarchatus fines, salvis tamen metropolitanorum juribus. Nimirum utilitate, vel necessitate Ecclesiæ id exigente, episcoporum, & metropolitarum extra Italiam confirmavit aliquando electiones, *Thomass. p.* 2. *Lib.* 1. *cap.* 3. Regium quoque assensum in episcoporum electionibus requiri consuevit: ita tamen ut ne eligentium libertas ullatenus violaretur, *Espen. p.* 1. *tit.* 13. *c.* 2. *& seqq.*, *Lupus*, *& Otto Diss.* 1.

§. 162. Hujusmodi disciplina ad IX. Sæc. stetit apud Græcos: & ad Sæc. XII. apud Latinos, cum episcopi a Cathedralibus tantum Capitulis eligi cœpere: quod fuit jus Decretalium Greg. IX.,

uti

uti ex cap. de electione. Denique a Bonifacio VIII., Clemente V., aliisque Pontificibus electiones episcoporum Romano Pontifici reservatæ sunt, uti ex *Sexto* Decretalium, Clementinis, ac Regulis Cancellariæ: quod jus non ubique receptum est, *Espen. d. loc.*

§. 163. Per hasce reservationes vetus electionum disciplina, quæ jam immutari cœperat, ad nihilum pene redacta est. Ut autem eæ inducerentur, in causa fuere electiones ultra tempus protractæ, discordiæ inter eligentes, & electos, plerumque ad Sedem Apostolicam delatæ, ac diffidia inter Pontifices, & Reges, præsertim Avenionensi schismate vigente. Reclamarunt vero Canonicorum collegia, ac Principes. Quare in Concilio primum Basileensi prorsus abrogatæ sunt reservationes, illa tantum excepta, ex qua beneficia in Curia vacantia R. Pontifici reservantur. At non ubique Basileense Decretum obtinuit. Hinc successu temporis pactis conventis res varie transacta est. In Germania ex Concordato inter Fridericum III., & Nicolaum V., electiones Capitulis Cathedralium restitutæ sunt. In Gallia inter Franc. I., & Leonem X., Rex nomi-

nant episcopos. Catholici Hispaniarum Reges & indulto Adriani IV., & maxime antiquissimo Regii patronatus jure, omnes Hispaniensium Ecclesiarum episcopos eligunt. Apud nos ex Concordato inter Clementem VII., & Carolum V. ann. 1529., Rex nominat, eligitque episcopos ad suas Ecclesias. Apud nos quoque post acrem cum Rom. Curia concertationem servatur, ut episcopatus, & omnia beneficia, nonnisi regnicolis, vel jura civitatis habentibus prorsus conferenda sint, ex Caroli VI. Imp. Rescripto *Tom. 2. Privileg. Neap.*; & ex Concordato anni 1741., *cap.* 8. *art.* 1.

§. 164. De summi Pontificis electione novum etiam jus est. Ea, excluso populo, & inferiore clero, ad solos Cardinales delata est, *can.* 1. *dist.* 23. Rata vero censetur ex Conc. Lateran. III. sub Alex. III., si duæ præsentium Cardinalium partes consentirent in unum, *cap.* 6. *de elect.* Tandem statutum est Conc. Lugdun. II. sub Greg. X., ut uno conclavi Cardinales concluderentur, *cap.* 3. *d. tit. in VI.*, *Clem.* 2. *eod.* *V. Bignonium de sum. Pontif. elect.*

§. 165. Jam electus episcopus confirman-

mandus est: & olim a metropolitano, & comprovincialibus episcopis, *can.* 4. *Nicæn.*; *can.* 5. *&* 8. *dist.* 64.: sicuti metropolitanus a Primate; & a Patriarcha Primas, *Thomass. p.* 2. *L.* 2. *c.* 19. Idipsum quoque obtinuit Grægorii IX. tempore, uti ex multis Decretalium locis. Quare *canonicum* electionis *decretum* (olim a Clericis, monachis, & laicis subscriptum; postmodum a Canonicis) ad Metropolitanum mittebatur, *Barbosa Jur. Eccles. l.* 9. At, electionibus Romano Pontifici reservatis, confirmationes quoque reservari oportuit.

§. 166 Electus, ne diu vidua Ecclesia jaceat, intra mensem a die scientiæ consentire in electionem debet, ni jure suo cadere velit, *cap.* 6. *de elect. in VI.*; atque intra tres a consensu præstito menses, confirmationem petere. Intra mensem a consensu præstito, eum se dare viæ Romam versus, sanxit Nicolaus III. *cap.* 16. *eod.* Qui confirmatus non est, administrare Ecclesiam nequit; aliter jure per electionem quæsito excidit, *cap.* 9. *&* 17. *de elect.*, *c.* 5. *eod. in VI.* Confirmatus vero, quæ jurisdictionis sunt, exercet, *c.* 28. §. 2. *eod.*, si Pontificias Bul-

Bullas obtinuerit, *Extravag. injunctæ de elect. inter. comm.*

§. 167. Tandem consecratio, seu ordinatio, ante XI. Sæc. a confirmatione non discernebatur, *can.* 5. *6. &* 8. *dist.* 64. Tres saltem episcopos cum metropolitano convenire, Nicænum Conc. cavit *can.* 4. Verum ab ea disciplina quandoque descitum; & a duobus episcopis, immo ab uno, si urgeret necessitas, consecratio facta est, *Const. Apost. III.* 20., *Anastas. Bibliothecar. in Pelagio I.* Postea quia Occidentis episcopi confirmationem a Rom. Pontifice petere cœperunt, consecratio, quæ in Provinciis expediebatur, a confirmatione, quæ Romæ fiebat, sejuncta fuit. Denique sicuti confirmatio, ita & consecratio Rom. Pontifici reservata est: ac statutum, ut ultra tres menses isthæc minime protraheretur: idem spatium, quod erat inter electionem, & confirmationem. *Trident. sess.* 23. *c.* 2. *de Ref.* statuit, *si munus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur; si intra totidem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso jure sint privati.* Quod si antea Conc. Chalcedon.

can. 2. *dist.* 65., Gregorius M. *can.* 11. *dist.* 56., & Pelagius I. *can.* 1. *dist.* 100. caverant, ut intra tres menses episcoporum ordinationes fierent, incipiebat hoc spatium a die vacationis, non vero a die confirmationis, unde incipit Jure novo.

§. 168. Novissimo igitur Jure omnium prorsus episcoporum, etiam illorum, qui a Regibus nominantur, & eliguntur, confirmatio, & consecratio R. Pontifici est reservata: confirmatio autem facta intelligitur, quum electus in Consistorio a Rom. Pontifice præconizatur. Licet autem vetus Ecclesiæ disciplina de electione pene abolita videatur, adhuc tamen de persona eligenda diligens facienda est inquisitio *ex Trident. sess.* 22. *de Ref.* *c.* 2., *&* *sess.* 24. *cap.* 1. Jure Neapolitano autem novis electis, vel etiam consecratis episcopis, nullum permittitur episcopalis potestatis munus exercere, nisi prius Regium placitum Litteris Pontificiis accesserit; & corporalem adepti sint possessionem. Placitum Regium agnovisse videtur olim etiam Nicolaus IV., cum Carolo II. Andegavensi indulsit, ne quis Regi suspectus ulli Regni Ecclesiæ præfice-

ceretur, *apud Bart. Chioccarell. Archiv. tom.* 4. *Ughellus Ital. sacr. tom.* 1. *in episc. Melit. n.* 16.

§. 169. Per consecrationem spirituale cum Ecclesia init conjugium episcopus. Dissolvi tamen potest depositione, de qua inferius, translatione, & renunciatione, de quibus hic pauca.

§. 170. Episcopo ab Ecclesia sua ad aliam transire, a priscis canonibus interdictum est, quos ex parte congessit Gratianus *caus.* 7. *quæst.* 1.: idque tam ob spiritualis conjugii individuam necessitudinem, *cap.* 1. *&* 3. *de translat.*, quam ad compescendam episcopi ambitionem, atque avaritiam, *ne virginis pauperculæ societate contemta, ditioris adulteræ quærat amplexus*, uti elegantissime Hieron. *ep.* 83. *ad Oceanum*. Sane *nullus episcopus adhuc inveniri potuit, qui a majori civitate in minorem transferri studuerit*, ait Conc. Sardic. *can.* 1., ex quo laicæ etiam communionis pœna, *de qua Albaspin. Obs. I.* 4., irrogatur episcopis hujus facinoris convictis: idque occasione Arianorum, qui translationes temere probabant. Antea quidem Nicæni Patres eas irritas tantum declararunt; ac episco-

pos suis sedibus restituendos fore; voluerunt, *can.* 15. & 16.

§. 171. Verum ambitiosæ translationes vetabantur; non vero, quæ causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ fierent. Non enim Ecclesiam propter episcopos; sed hos propter Ecclesiam Christus instituit. *Non mutat sedem, qui non mutat mentem*, ait ad rem Pelagius II. Et Synod. Carthag. IV. *can.* 27., *Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis Clericus. Sane si id utilitas Ecclesiæ faciendum poposcerit, decreto pro eo Clericorum, & laicorum episcopis porrecto in præsentia Synodi transferatur . . . . inferioris vero gradus sacerdotes, vel alii Clerici concessione suorum episcoporum possunt ad alias Ecclesias transmigrare.*

§. 172. Ex hoc canone efficitur, olim translationum causas fuisse in Synodo Provinciæ examinandas, & probandas. Idem apud Orientales, *Conc. Antioch. can.* 23. Procedente tempore Patriarchæ jus translationum usu sibi assumpserunt, *Socrates V.* 8., & *VII.* 36.: donec Rom. Pontifici ab Sæc. XII. reservaretur. *V. Espen. p.* 1. *tit.* 15. *n.* 16. Efficitur quoque ex

lau-

laudato Carthag. canone, inferiorum Prælatorum translationes facilius esse admittendas. At invito proprio episcopo ad aliam transire Ecclesiam Clericis prohibetur *Conc. Nic. can.* 16.

§. 173. Cur autem per Ecclesiam spirituale episcopi vinculum, quod *fortius, quam carnale* est, *Innoc. III. cap.* 2. *de transl. ep.*, dirimi potest, non item carnalis matrimonii? Quidam τὸ *fortius* intelligunt *nobilius*. Alii de duratione accipiunt. At cum Bellarmino dicendum reor, vinculum episcopi non cum Ecclesia particulari, sed cum universali *fortius* dici, ac solvi non posse. Aliud Gonzalez. *in cap.* 1. *d. tit. V. Bened. XIV. de Syn. Diœcess. XIII.* 16., *&* *Barbos. de offic. & potest. episcop. p.* 3. *alleg.* 119.

§. 174. Propter eamdem spiritualis conjugii rationem non possunt episcopi ab suis se abdicare Ecclesiis, ut vitam privatam vivant: possunt vero, legitima si subsit causa, *Aug. ep.* 238. Renunciationis justæ caussæ plures recensentur ab Innoc. III. in *cap. nisi*, *de renunciat.* Hæc autem abdicatio dupliciter fieri potest: videlicet gradum dumtaxat episcopalem dimittendo; vel gradum simul, ac di-

dignitatem. Si priori modo episcopus suam dimittat Ecclesiam, jurisdictionem solummodo episcopalem exercere prohibetur; at quæ ordinis sunt episcopalis, ab episcopo diœcesano rogatus, recte exsequetur. Sin posteriori, licet ordinis characterem retineat, in simplicium tamen presbyterorum classem prorsus redactus censetur: adeout, quæ ordinis sunt episcopalis, neque ex diœcesani episcopi permissu, rite exercebit: ac suspensi sunt, qui ordines ab eo susceperint, *tot. tit. de ordinatis ab eo, qui episcopatum renunciavit.*

§. 175. Renunciantibus episcopis etiam olim nonnunquam ex dimissi episcopatus reditibus canonica ad sui ipsorum conservationem pensio indulta. Ita Conc. Chalced. *action.* 10. in caussa Domni Antiocheni, qui Ecclesiasticæ pacis caussa Antiochenam Ecclesiam dimisit: unde primæva pensionum Ecclesiasticarum origo deducitur.

§. 176. Renunciatio autem in tacitam & expressam dispesci solet. Tacita ipso jure fit, uti si Clericus vel nuptias contrahat, vel beneficium cum priori incompatibile consequatur, *cap.* 5. *de Clericis conjugatis*; *cap.* 28. *de præbendis*. Expressa

ſa verbis fit. A renunciatione in certæ perſonæ gratiam, mirum quantum veteres Patres abhorruerint, *Origen. hom.* 22. *in Levit.*; Tandem rununciationes olim in Provinciæ Synodo, rationibus expenſis, vel admittebantur, vel reiiciebantur. Poſt falſas decretales ſedi Apoſtolicæ reſervari cœperunt, *can.* 34. *cauſ.* 7. *quæſt.* 1.; *cap.* 2. *de Renunciatione*.

CAP. VII.

DE CLERICIS OFFICIO, AC DIGNITATE INTER SE DISTINCTIS.

§. 177. PRæter munia cujuſque ordinis propria, ſunt & alia, quæ ex caritate Chriſtiana, aut ex recti regiminis ratione, Clericis in minoribus, vel majoribus ordinibus conſtitutis, acceſſerunt: non enim videtur, hæc officia ſine aliquo ordine Clericum conſtituiſſe; licet Clericos, qui in Clero, & eos, qui in canone erant, diſtinguat Thomaſſin. *p.* 1. *L.* 2. *c.* 34. Hos Clericos non quidem ordinis gradu, ſed officiis, ac dignitate inter ſe diſtinctos, heic recenſere operæ pretium eſſe reor.

COPIATÆ

§. 178. Copiatæ, ita dicti a κοπος *labor*, ut alias originationes omittam, defunctorum corpora gestabant, tumulisque inferebant. Proinde a Just. *Nov.* 43., & Theodoreto *ep.* 110. dicti sunt *lecticarii:* necnon *fossarii* ab auctore libri de *septem ord. Eccles.*, qui sub Hieron. nomine latet. Dici possunt *Libitinarii*, *Pollinctores*, *Vespillones*. Ii olim Clerici fuere, *Epiphan. expos. Fid. n.* 21. *Hier. ep.* 49. *L.*1. *C. Th. de lustral. collat.*: & quidem tempore Constantini M. constituti, *L.*15. *C. Th. de episc. & Cleric.*

PARABOLANI

§. 179. Parobolani, ita dicti, quod παραβολον εργον, rem periculi plenam tractarent, *Duaren. de benef. l.* 19., *ad curanda debilium ægra corpora deputabantur*, *L.* 43. *C. Th. de ep.*, quæ est *L.* 18. *C. Just. eod.* Ii Clerici fuere, *L.*42. *C. Th. eod.*, & fortasse minores, *Baron. ad ann.* 416. (licet neget Petavius *ad Epiphan. hæres.* 72.); ac primum memo-

morantur in Theodosii Constitutionibus. Sed incertum est, quo primum tempore instituti fuerint.

CATECHISTÆ

§. 180. Catechistæ catechumenos in doctrina Christiana instituebant. Id factum ab episcopis, presbyteris, Diaconis: quandoque etiam a Lectoribus: immo cum episcopi venia aliquando quoque a laicis, qui ob doctrinam suam cum profanis disputare poterant, *Const. Apost. VIII.* 38.: sicuti de Origene adhuc laico fertur. A Diaconissis etiam id factum apud Orientales, atque Africanos, *Conc. Carth. IV. can.* 2.; in privatis tamen ædibus, non in Ecclesia: cum Apostolus dixerit, *docere mulieri non permitto*.

PSALMISTÆ

§. 181. Psalmistæ, seu Psaltæ, sunt Latinis *cantores*, ad Psalmodiam restaurandam instituti. Psalmos, & Hymnos usque ab Apostolorum ævo in Ecclesia clerus, & populus cantarunt, *ad Ephes. c.* 5. *v.* 1. *Chrysost. Hom.* 36. *in* 1. *ad Cor.*, *Hier-*

præf.

præf. L. 2. Comm. in ep. ad Galat. Quod si *can.* 15. Syn. Laodicenæ habeat, *non oportet, præter Canonicos cantores, qui suggestum adscendunt, & ex membrana legunt, aliquos alios canere in Ecclesia*; id vel non fuit ubique receptum, uti Bona putat *l.* 25., vel cautum usquedam Psalmodia, jam in deterius collapsa, *Chrys. Hom.* 1. *de verb. Isai. vidi Dominum*, dignitati suæ restitueretur. De cantu Ecclesiastico restituendo præ aliis solicitus fuit S. Gregorius, ex cujus Cantorum schola in Occidentem Cantores prodiere, *Joh. Diaconus in ejus vita II.* 6.. Successu temporis Eunuchi, qui in ordine Ecclesiastico non erant, in Ecclesia cantarunt, *Balsam. in can.* 4. *Syn. VI. Trull.* Cantoratum vero officium fuisse, non ordinem, colligitur ex *can.* 10. *Conc. Carthag. IV.*, quo omnes ordines ab episcopo conferendos esse cavetur; at Cantoris munus solo presbyteri jussu obiri posse.

PARAMONARII

§. 182. Paramonarii Dionysio Exiguo, *in can.* 2. *Conc. Chaced.*, latine dicuntur *mansionarii*. Hi vero *Ecclesiæ Custodes*

des erant ; *manebant* in Ecclesia : atque ad eos oleum lampadibus infundere , easque accendere , atque Ecclesiam custodire pertinebat , tempore Gregorii M. *Dialog. III.* 25., & *I.* 5. Paramonarii vero in Oriente proprie erant villici , qui Ecclesiæ res administrabant; uti ex Justiniano *L.* 46. §. 3. *C. de episcop. & Cleric., ubi Cujac., & Gothofred. V. Voss. Lib.* 3. *de vitiis serm.* Ex allato canone Conc. Chaced., in quo prima eorum mentio occurrit, apparet, Paramonarios fuisse Clericos. Diversa itaque erant Mansionarii, ac Paramonarii officia . Et Dionysius fortasse putabat , Græcorum Παραμονάριον eundem esse, ac *Mansionarium* Ecclesiæ Romanæ .

OECONOMI

§. 183. Oeconomi *vice episcoporum res Ecclesiasticas tractant* , uti ex Conc. Tolet. *c.* 43. *Dispensatores pauperum* dicuntur a Leone , & Anthemio *L.* 33. §. 4. *de episc. & Cler.*; quia *propria pauperum sunt Ecclesiæ bona* , Isid. Pelusiot. *Lib. I. epist.* 269. Antiquitus episcopi res Ecclesiarum administrabant , ac distribue-

buebant, adjectis utplurimum Archidiaconis, uti adminiſtris. At Sæc. IV. ob copiam bonorum, necnon aliorum negotiorum quibus epiſcopi, atque Archidiaconi diſtinebantur; tum *ne ſine teſtibus ſit Ecclesiæ adminiſtratio*, *Conc. Chalced. can. 26.*, Oeconomi inſtituti fuere: & plerumque ex Presbyterorum ordine, *Conc. Epheſ. act. 1. in Conc. Chalced.*, *Morin. Exerc. 16. cap. 5.*, *Thomaſſ. Diſcipl. par. 3. Lib. 2. cap. 9.*

ECCLESIÆ DEFENSORES.

§. 181. Eccleſiæ Defenſores jura Eccleſiæ, vel cujuſdam Clerici, tuebantur; ac ſi læſa fuiſſent, reſtitui curabant, *Conc. Carth. I. c.* 8. Differebant a *Defeſoribus pauperum*, qui hos apud Magiſtratus, aut Impp. adverſus potentes defendebant, *Conc. Carth. V. c. 9.*, *S. Ambroſ. de off. II.* 29. Atque tam hi, quam illi, inſtituti ſunt exemplo *Defenſorum Civitatum*, de quibus eſt tit. in Cod. At defenſores illi laici ne fuerint, uti Petavio viſum *in epiph.hær.62.*, an Clerici, uti Morino *de ordin.Exerc.16.c.9.*, ambigitur. In Orientali Eccleſia Clerici ii erant, ac utplurimum pres-

presbyteri, *Conc. Ephes. act.* 5.: in Occidentali quoque Clerici olim, *arg. L.* 38. *C. Th. de Ep. & Cler.*; quicquid secus dicat Thomass. *p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 97. Postmodum, quia minus decebat Clericos in fori jurgiis versari, cœpere episcopi *Scholasticos*, nimirum Advocatos, qui laici erant, ad hoc munus ab Impp. exorare, *Conc. Carthag. V. c.* 9., *& Milevit. c.* 16. Hæc Africanæ Ecclesiæ disciplina Romæ recepta fuit, *Zosim. ep.* 1. *c.* 3. At in Occidente denuo Clerici ad id munus adsciti, & quidem minores, *S. Greg. ep.* 25. *Lib.* 4.; *ep.* 33. *Lib.* 9. Denique Africanos Canones de laicis Defensoribus restituere placuit Carolo M. *Capitular. II.* 31., *& VII.* 308. *V. Murat. diss.* 73. *med. ævi.*

INTERPRETES

§. 185. Interpretes erant Ecclesiæ ministri, *uti Epiphan. expos. Fid.* 21., qui a Lectoribus, aut a Concionatoribus recitata, alia lingua explicabant, ubi non eadem populus lingua loquebatur. Quemadmodum esse ibi, qui alienigenarum callentes linguam, sacramenta ministrarent,

rent, jubet Innoc. III. *in cap.* 14. *de off. jud. ord.*

NOTARII

§. 186. Notarii defcribebant per notas gefta, ac dicta Martyrum; erantque fortaffe minores Clerici: iis enim fubdiaconos præpofuit Fabianus P., *Pearfon. de fucceff. epifc. Rom. diff.* 1. *c.* 4. Poftea Conciliorum acta ii fcribebant, *Eufeb. VII.* 30. *Socrat. II.* 30.: at hi Diaconi erant, *Conc. Ephef. act.* 1. *in act.* 1. *Chalced.*

APOCRISARII

§. 187. Apocrifarii, feu *Refponfales*, caufas Ecclefiarum, vel epifcoporum in aula Imp. procurabant. Clerici ii fuere, & plerumque Diaconi, *S. Greg. Lib.* 4. *ep.* 38., *&* *alibi*: eorumque originem a Conftantino M. vulgo repetunt. Sed primus Leo I. cum Marciano egit, ut perpetua effet Rom. Ecclefiæ legatio apud Imp., *ut ex ejus ep.* 56., *&* *feq.*: cum antea ad certas folummodo caufas, certumque tempus fuiffet. Romani tantum Pontificis,

cis is, ac Patriarcharum fuit ad Impp. Apocrisarios mittere, *Just. Nov.* 6. c. 2. De Nuntiis Pontificiis apud Christianos Reges vide Thomass. *p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 107. Excipe Archiepiscopos Ravennatenses, qui Cpolim Apocrisarios mittebant, quia apud Exarchos Ravennæ gratia valebant; uti ex Bulla Paschalis I. ad Petronacium Archiep. Ravenn. *apud Murat. Antiq. med. ævi tom.* 2. Alii erant *Apocrisarii cujusque Ecclesiæ*, de quibus in *Nov.* 123. *c.* 25., qui ab episcopis ad suos Metropolitas, & Patriarchas delegabantur.

D I A C O N I S S Æ.

§. 188. Hoc loco inter Clericos non ordine, sed officio distinctos, non incommode referri possunt *Diaconissæ*. Ab Ecclesiæ primordiis ante monasteriorum institutionem fuerunt virgines Deo sacræ, *Tertull. Lib.* 1. *ad uxor.*, *Cyprian. de habit. virg.*, quæ intra domesticos parietes vitam vivebant, *Hier. ad Eustoch. de cust. virg.* Earum aliæ ipsæ se pulla amiciebant veste, *Hier. ad Marcellam de laudib. Asellæ:* aliæ ab episcopis sollemni-

niter sacro flammeo, quod Optatus *II.* *7.* dixit *mitram*, velabantur, *Ambrof. exhort. ad Virg.*, *&* *ad virg. lapsam.* Fuerunt & viduæ dictæ *Diaconiſſæ*, quas Apoſtoli inſtituere, *Paul. ep. ad Rom. ult. v.* 1.: unde earum officium *viduatum* dici ſolebat.

§. 189. Eligebantur plerumque unum paſſæ virum, *ex Paul.* 1. *ad Timoth.* 5. *v.* 1.: quandoque & *perpetuæ virgines*, *Epiphan. expoſit. Fid. n.* 21.: atque annis LX. natæ, *Tertull. de vel. virg. c.* *9. Theodoſ. L.* 27. *C. Th. de epiſcop.* *&* *cleric.*, quæ extat quoque *in L. 9. C: Juſt. eod.*, ubi tamen legitur XL., quod fortaſſe repoſuit Tribon. ſuo ſerviens tempori: nam non minores XL. anno fore Diaconiſſas, ſtatuit Conc. Chalcedonenſe *can.* 14. *al.* 15. Idipſum Juſtinianus, *Nov.* 123. *c.* 13.; qui tamen *Nov. 6. c. 6.* ait, *circa L. annos agentes*. Quod ſi junior Diaconiſſa, Olympia ſub Nectario Cpolitano epiſcopo memoratur a Sozomeno *VIII. 9.*, dicendum eſt, circa Diaconiſſarum ætatem epiſcoporum arbitrio quid fuiſſe conceſſum. *Bing. II.* 22.

§. 190. Conſecrabantur Diaconiſſæ per manuum impoſitionem, *Conſt. Apoſt. VIII.*

19.

19. *Conc.Chalced. can.* 15. *Conc. Trull. can.* 14.; quæ tamen ſacramentalis non erat, nec aliquem conferebat ſacerdotii gradum, cujus incapaces mulieres; ſed erat ceremonialis. Quod ſi in *can.* 19. Nicæno nullam eas manuum impoſitionem accepiſſe dicitur, non de Diaconiſſis in univerſum agitur in eo Canone, ſed de iis, quæ ſine ulla manuum impoſitione inter Pauliani-ſtas habitum ſumſerunt. *Albaſp.*, & *Lup. in d. can.*

§. 191. Diaconiſſarum officia intra Eccleſiam erant; feminis locum dare; catechumenas privatim erudire; ante baptiſmum, per immerſionem dari ſolitum, eas ſacro oleo inungere (qui mos proprie Græcæ fuit Eccleſiæ); ac baptizatas ſuſcipere, abſtergere, *Conſt.Apoſt.VIII.*28., & *III.* 15. Extra Eccleſiam mandata epiſcoporum ad mulieres ferre; eas ægrotantes inviſere; & carcere detentis Confeſſoribus, quos in difficilliſſimis Eccleſiæ temporibus Clerici vix adire poterant, miniſtrare, *Gothofred. in d. L.*27.

§. 192. In Occidente de Diaconiſſis abrogandis ſæpenumero actum eſt in Conciliis *Arauſic. I. can.* 26., *Epaonenſ. can.* 21. *Aurelianens. II. can.* 18. Tan-

dem Sæc. XI. desierunt, *Bona l.* 25. In Oriente erant tempore Balsamonis, h. e. Sæc. XII. *Balsam. Resp. ad interrog. Marci cap.* 35. *apud Leunclav. tom.* 1. *Jur. Græc. Rom.*

PAROCHI.

§. 193. Parochi sunt presbyteri proprii certarum cujusque Diœcesis partium, sive in urbe, sive in pagis, qui inferiores sibi demandatas Ecclesias, jure proprio, sed sub episcopi potestate, administrant. Nulla de iis apud Patres, & Canones Apostolicos per III. Sæc. mentio. Tantum in primaria Diœcesis urbe una erat Ecclesia, unum altare, ubi offerebat episcopus, vel eo jubente, aut absente, presbyter. *Parochiæ* autem vocabulo universa Diœcesis veniebat (Παροικια *incolatus* est: & Εκκλησια Παροικουσα Ρωμην est *Ecclesia Romana*, seu *Romam habitans*. *V. Suicer. thesaur. Eccles.*). In ea Ecclesia fideles die solis conveniebant; iisque præsentibus Eucharistia præbebatur; per Diaconos mittebatur absentibus, *Justin. Apolog.* 2. Si vero presbyter alium ab Episcopo altare fecisset, eum depositionis pœna affici, cautum est *can.* 32. *Apostolic.* §. 194.

§. 194. Postquam vero a persequutionum metu Ecclesia respirare cœpit, & fidelium numerus augeri, Parochiæ institutæ sunt. Institutas fuisse a Dionysio P., qui anno 258. Ep. Romanus erat, complures putant ex ejus epistola apud Grat. *can.* 1. *cauf.* 13. *q.* 1. Sed hæc Isidoris Mercatoris figmentum est. Certe Athanasii ætate singuli Alexandrini episcopatus *pagi presbyteros suos*, h.e. parochos, habebant, *Athan. Apol.* 2., *Thomass. p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 22., *Bingam. IX.* 8., qui tamen sine certis monumentis paroeciarum originem ab ipsa repetit Apostolorum ætate. Observandum est, vicanis paroeciis statim proprios presbyteros præpositos; urbanas vero diu per Clericos Episcopalis Ecclesiæ administratas fuisse. *Bing. d. loc.* De concursu ad parochiales Ecclesias juxta Conc. Trid. vide Espenium, *J. Eccl. p.* 2. *sect.* 3. *tit.* 5.

§. 195. Ad parochos *Divino Jure* pertinet *oves suas agnoscere*, *pro his sacrificium offerre*; *verbique Dei prædicatione*, *sacramentorum administratione*, *bonorum omnium operum exemplo pascere*, Trident. *sess.* 23. *de Ref. c.* 1., diebus festis erudire, *sess.* 5. *c.* 2.: eaque omnia *per se*,

 aut,

aut, *si legitime impediti fuerint*, per alios idoneos præstare tenentur, *d. c.* 2. Et vicissim proeciani pastori suo adhærere tenentur, ut ab eo accipiant sacramenta, *cap.* 2. *X. de paroch.*

§. 196. Parochos 70. Servatoris nostri discipulorum successores, ac divinæ institutionis esse, multi tradunt: sed quoad officium, quatenus animarum cura, quam habent, in episcopatu continetur; non quoad originem: ii enim ab episcopis constituti passim sunt, tanquam adjutores: atque ab episcopis pendent, quoad munera iis commissa, *Thomass.* *p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 26.

§. 197. Habent vero parochi, ex quo priora Sæcula transierunt, in paroeciis suis ordinariam in foro interno jurisdictionem; ita ut eorum internam animarum curam auferre, limitare, aut suspendere nequeat episcopus, nisi ex justa causa, in foro externo probanda, *Trident. sess.* 21. *de Ref. cap.* 6. At a Sæc. IV. parochi in suis paroeciis exteriorem quoque jurisdictionem exercuerunt; non tamen ordinario, sed jure ab episcopis delegato: hinc paroecianos suos excommunicarunt, sacrisque interdixerunt, *August. epist.* 108., al. 255. *n.* 19. Quæ delega-

te

ta jurisdictio, silentibus episcopis, ordinaria evasit post X. Sæc. Donec Sæc. XIII. episcopi omnem extrinsecam jurisdictionem, creatis vicariis generalibus, ad se revocarunt. *Thomass.* *p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 20, *&* 23.

Archipresbyteri; et Decani.

§. 198. Archipresbyteri; quos Græci utplurimum *Protopresbyteros* dixere, sunt primi presbyterorum. Antiquiores ruralibus sunt urbani; qui præsentis episcopi curam levant; absentis vero vices supplent, quoad sacerdotalia officia. Hinc proxime post episcopum archipresbyter Ecclesiæ præest, uti collegii presbyteralis caput; atque ad eum pertinet missarum sollemnia, aut officium vice episcopi inchoare, *cap.* 2. *&* 3. *de offic. Archipresb.* Archipresbyterorum primum meminit Hieron. *epist.* 4. *ad Rustic.* Ergo exeunte IV. Sæc. constituti fuere; cum episcopi aliis negotiis distenti, animarum curam soli gerere non poterant. Sane per priora tria Sæc. unus episcopus omnibus præerat presbyteris.

§. 199. In singulis Ecclesiis, tantum

H 3 Cathe-

Cathedralibus, diu unus fuit Archipresbyter: & in Occidente sæpe, qui ordinatione antiquior erat, *Leo I. ep.*57. *&* 58.: in Oriente utplurimum, qui meritis præstabat, *Thomass. p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 3. Postea ex recta regiminis ratione plures constituti fuere. Tum præter hos, qui erant urbani Archipresbyteri, aucto fidelium numero, rurales quoque constituti fuere, qui animarum curam habent, ac parochis præsunt, *cap.* 4. *eod. tit.*

§. 200. Hujusmodi Archipresbyteri per agros Dioecesis constituti, appellati quoque sunt *Decani*; eorumque districtus *Decaniæ*: iis enim decem inferiores tituli, hoc est paroeciæ continebantur: ducto nomine a *Decano* militiæ, qui decem praeerat militibus. *V. Cang. in Gloss. Latin. & Græcit.* Hinc Diœceses in certas Decanias distinguebantur. Decani *Plebani* quoque dicebantur a plebibus, quibus præerant, *Thomass. p.* 1. *Lib.* 2. *cap.* 5. *&* 6.: & proprie baptismalibus præficiebantur Ecclesiis. *Plebes* interpretatur Parochias Gonzalez *in d. c.* 4. At Thomass. *d. loc.* plurium Parochiarum tractum; quia *in d. c.* 4. *minores tituli*, h. e. Parochiæ, *plebibus* opponuntur.

§. 221.

§. 201. In suis Decaniis Decani nedum internam animarum curam, verum etiam exteriorem jurisdictionem, delegatam ab episcopis, exercuerunt, *cap.* 3. *de offic. ordin.*; *cap.* 11. *de majorit.*, *&* *obedient.* Quæ mandata jurisdictio evasit, silentibus episcopis, ordinaria. Defecit tandem, cum Sæc. XIII. eam sibi episcopi vindicarunt, vicariisque suis commiserunt. Jure Decretalium ad episcopum, & Archidiaconum pertinet Decanorum institutio, *cap.* 7. *de offic. Archidiacon.* Hodie tamen Vicarii foranei videntur in Decanorum jura succedere.

Archidiaconi.

§. 202. Archidiaconi erant ex ordine Diaconorum; eorum tamen principes. Ii Sæc. IV. instituti sunt: nam primum eos memorat Hieron. *epist.* 4. *ad Rustic.*; tum Optatus Milevit. *adv. Parmenian. Lib.* 1. Optimum quidem factu fuit, pluribus in quaque Ecclesia Diaconis unum præponere. Is ab episcopo eligebatur, *Ambros. de offic. l.* 41. *Sozomen. Hist. E. VIII.* 9.; nec tamen ab eo, nisi causa cognita, gradu moveri poterat, *Leo*

epist. 71. Quod si Hieron. *ep.* 85. *ad Evagr.* dicit, *diaconi eligant de se, quem industrium noverint*, & *Archidiaconum vocent*, id suppositionis causa dictum fuisse, patet ex vocula *si*, quæ præit. *Thomass. disc. p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 17. Eligebatur vero non qui ordinatione antiquior erat, sed qui episcopo *industrius* videbatur: & unus quidem in quaque Episcopali Ecclesia, *Chrisost. ep. ad Innoc. I.*, & *ep.* 4. *ad Rust. Conc. Emerit. c.* 10. Plures vero in una Diœcesi Archidiaconi fuere electi Sæc. IX. *Conc. Parisiens. IV. can.* 25., usque ad XII., *Alex. III. cap.* 6. *de offic. Archidiacon.*

§. 203. Archidiaconus vice episcopi intra Ecclesiam officia dividebat, *cap.* 2. *de off. Archidiac.*: ac juniores Clericos domi suæ erudiebat, *Conc. Cart. IV. c.* 9.: sacra item instrumenta in ordinatione minorum Clericorum præbebat, *d. Conc. c.* 5. & 6.: & præterea in ordinandis presbyteris, ipsisque episcopis, testimonium dicebat: ei namque laici, & Clerus solebant ordinandorum mores aperire, *Conc. Chalc. act.* 10. Tandem ejus ministerio omnia ferme episcopus expediebat negotia. Quare sicuti Diaconi sunt *oculi episcopi*,

ſcopi, Archidiaconus eſt *totus oculus*. Ita Iſidorus Peluſiota *Lib.* 4. *ep.* 188. Hodie munus ejus eſt epiſcopo generalem ordinationem facienti ordinandos ſiſtere, deque eorum moribus teſtari, *cap. unic. X. de ſcrutinio in ordine faciendo*, *Bened. XIV. de Syn. Diœc. V.* 3.

§. 204. Antiquitus mandatam quoque ab epiſcopo jurisdictionem exercere cœpit in minores Clericos Archidiaconus (§. 112.): immo jurisdictionem omnem, uti Vicarius generalis epiſcopi, in univerſam Diœceſim: idque tam in Oriente, ubi ea citius defecit (& ante ann. M. officium inter Eccleſiæ fines tantum erat Archidiaconatus, *Thomaſſ. c.* 19. *eod.*: atque in CPolitana Eccleſia ejus officium, ac jura tranſierunt in Carthophylacem, *V. Codin. de offic. Eccleſ.*, *& Aulæ Cpolit.*); quam in Occidente; ubi tamen latiſſima illa poteſtas Decretalium temporibus vigebat, *cap.* 1. *&* 7. *eod.* Quin alicubi ordinaria evaſerat, *cap.* 54. *de elect.* Et reſcripſit Innoc. IV. *in cap.* 3. *de appell. in VI.*, ab Archidiaconis ad epiſcopos, non ad metropolitanum Remenſem appellandum eſſe. *V. cap.* 7. *X. de præbend.* Proinde Archidiaconi Archi-

pres-

presbyteris inferiores ordine, jurisdictione majores erant, *can.* 1. *dist.* 25.; *cap.* 1. *de offic. Archipresb.* Suppostitium vero est fragmentum ex epistola Isidori Hispalensis, quod in his locis refertur, *Baluzius ad Ant. Aug. de emend. Grat.*: unde non a Sæc. VI., sed XII., dicendum est, Archidiaconorum potestatem in presbyteros, atque Archipresbyteros extensam fuisse: adeo quidem, ut primi in ordine scripturæ essent, *cap.* 1. *de ætat., qualit., & ord. pref.*; ac sacerdotii accessione injuriam sibi fieri existimarent, *Hier. in Ezech. c.* 18., *Petrus Blesens. ep.* 123.

§. 205. Quare post annum M. quia improprium visum fuit, presbyteris non presbyteros, quasi suo jure, præesse, Archidiaconis necessitas presbyteratus injuncta fuit, *Hincm. Rem. epist. ad Archidiaconos presbyteros*. Tandem episcopi suam repetentes jurisdictionem, Vicariis generalibus pro arbitrio amovibilibus demandarunt. Verum in quibusdam Ecclesiis est adhuc magna Archidiaconorum jurisdictio, *Espen. p.* 1. *tit.* 12. *c.* 1. Denique ex Tridentino, *Sess.* 24. *de Ref. c.* 20., Archidiaconis quædam remanet jurisdictio,

ctio, exceptis caufis matrimonialibus, & criminalibus. Excipi etiam beneficiales, ac majores caufas omnes, putant ex eo loco Canoniftæ, *Barbof. in Collectan. ad Conc. Trid. n. 6.*

VICARII

§. 206. *Vicarii generales* ii dicuntur, quibus generaliter jurifdictionem in univerfam Diœcefim mandant epifcopi. De aliis Vicariis, quos parochi, aliive inferiores Beneficiarii vice fua conftituunt, agitur in tit. Decretalium *de officio vicarii*: de iis vero, quos fummi Pontifices, *in cap. 5. eod.* De hodierno *Cardinali Vicario* vide Bened. XIV. *de Syn. Diœc. II. 3.* De *vicariis Apoftolicis* ad Ecclefias, quæ epifcopum non habent, vel habent quidem, fed ad eas adminiftrandas impeditum, præfertim in Italia conftituendis, Sixtus V. *Conft.* 117. *Bullar. tom.* 4. Vicariorum vero epifcoporum imago quædam erat in veteri Ecclefia, *Thomaff. p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 7.; inftitutio tamen fuit poft Gregorium IX., cujus ætate Archidiaconos, diximus, epifcopi Vicarios fuiffe. Sane de Vicariis generalibus agitur *eod. tit. in VI.*

§. 207.

§. 207. Non teneri autem Episcopum, si muneribus suis obeundis ipse par sit; constituere Vicarium; teneri, si impar sit, res mihi extra omnem dubitationis aleam posita videtur. Immo, Vicario jam constituto, posse episcopum per se lites dirimere, neminem ignorare arbitror, vel ex eo, quod Vicarius & pro arbitrio constitui, & amoveri possit. *Thomass. p.* 1. *Lib.* 2. *cap.* 9.

§. 208. At quia *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter non esset in specie concessurus*, *cap.* 81. *de R. J. in VI.*, non potest Vicarius ex generali jurisdictionis mandato de criminali causa cognoscere, *cap.* 2. *de offic. vicar. in VI.*, beneficia conferre, quia nequit *regulariter donare is, cui bonorum administratio etiam libera concessa*, *c.* 3. *eod.* (unde complures arguunt, hoc de libera collatione accipiendum esse, non item de institutione, quæ in præsentato jus petendi supponit); litteras dimissorias dare, nisi episcopo *in remotis* agente, *c.* 3. *de temp. ord. in VI.*; absolvere in casibus episcopo reservatis, *arg. c.* 2. *de pœn. & remiss. in VI.*; dispensare ab irregularitatibus, ac suspensionibus, *Trid.*

sess.

seff. 24. *de Ref. c. 6.*; Diœcesim visitare, *c. 6. de off. ordin. in VI.*; Synodum Diœcesanam cogere, *Bened. XIV. de Syn. D. II.8.*; nec ea peragere, quæ ad potestatem ordinis episcopalis pertinent.

§. 209. Si igitur Vicario mandata est jurisdictio, ejus, & episcopi auditorium idem est: neque ab eo ad episcopum appellari potest, *c.3. de appell. in VI.*, & *cap. 2. de consuet.* Si eum episcopus removeat; antequam remotionis actus publicetur, valent, quæ ab eo geruntur, *cap: 4. de restit. spoliator.*, & *Clem. un. de renunciat.* Et mortuo episcopo, Vicarii finitur potestas, ac jurisdictio: quæ tamen ordinaria dici potest, quatenus exercetur ratione officii in Jure probati: unde, episcopo excommunicato, minime suspenditur, *cap. 1. de offic. Vicar. in VI.* In Gallia, aliisque ultra montes Regionibus, *Vicarius* ea, quæ ad voluntariam jurisdictionem pertinent, exercet; *Officialis*, quæ ad contentiosam.

§. 210. Vicarius esse debet Clericus, licet solum tonsuratus; ac in Jure laureatus: non item esse possunt conjugati, digami, minores 25. annis, *Barbosa J. Eccles. I. 15.*, mendicantes, *Clem.2. de Rescript.*, bri-

originarii civitatis, ac diœcesis, quia suspecti esse possunt; nec ii, qui animarum curam, licet exteri, habeant; *ex S.Congregat. episcop. decretis*.

§. 211. Sunt & Vicarii *foranei*, qui ex particulari potius, quam generali delegatione episcopi, caussas leviores in vicis, & oppidis cognoscunt; atque ad certos actus jurisdictionem restrictam habent. Unde ab iis ad episcopum delegantem appellari posse, Glossa tenet *in d. Clem.2.* Ii Sæc. XIV. Archipresbyteris ruralibus successisse videntur: ac primum memorantur a Clemente V. *d. Clem. 2.*

§. 212. *Vicarii* quoque *parochiarum* primum a laicis constituti fuere: cum hi usque a Sæc. VIII. Ecclesias invaserunt, ac quasi hereditario jure transmiserunt suis, *cap.1. & 2. de jure patron., cap.8. de filiis presb.*: ita *altare* ad episcopos pertinere fingentes, *Ecclesiam*, hoc est ejus temporalia jura sibi reservarunt, ac presbyteris spiritualium curam demandarunt: idemque mos fuit, cum Ecclesiæ transierunt a laicis ad monasteria, atque Collegia canonicorum. Vicarii isti primum ad tempus fuerunt, atque a Rectoribus mutabantur, episcopis præstito pecuniario cen-

censu, qui *altarium redemtio* audiebat, *can.* 4. *caus.* 1. *quæst.* 3.: postmodum perpetui. Verum distinctionem illam inter *Ecclesiam*, atque *altare*, respuit præsertim Abbo Floriacensis, *ep. ad Hugonem*, *&* *Robert. Galliæ Reges*.

§. 213. Nonnulla denique dicamus de Vicario Capitulari. Antiquitus Ecclesiæ suo viduatæ episcopo, ab episcopo proximiore gubernatæ interim fuere, *Conc. Aurelianens. can.* 6.: inde in Occidente instituti sunt *interventores*, seu *visitatores* (§. 160.): unde in nostro Regno erat *Visitator* Rom. Pontificis, utpote harum Regionum Metropolitani, *Greg. M. Lib.* 2. *ep.* 2., *&* 13. Visitatores autem, qui a Metropolitano constituebantur, desierunt, *Lupus ad can.* 5. *Conc. Rom. VII. Gregorii VII.*, fortasse ob regias nominationes, ex quibus ii ad procurandam novi episcopi electionem, quod præcipue curabant antea, impares evaserunt. Et Decretalium jure omnis jurisdictio, sede vacante, est universi Cathedralis Capituli, *cap. his qui*, *&* *cap. cum olim. de major.*, *&* *obedient*. Quod vero unius regimen ad res apte componendas optimum est, Concilio Tridenti-
den-

dentino *sess.* 24. *de Ref. cap.* 16., statutum, ut *Capitulum sede vacante Officialem, seu Vicarium* (ex Italorum more id dictum est, ubi unus Vicarius exercet jurisdictionem voluntariam, & contentiosam) *infra octo dies post mortem episcopi constituere, vel existentem* (qui episcopi vices gerebat) *confirmare omnino teneatur, qui saltem in Jure Canonico sit doctor, vel licentiatus, vel alias quantum fieri poterit idoneus: si secus factum fuerit, ad metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur. &c.*

§. 214. Est Vicarius Capitularis ejusdem juris, ac generalis episcopi: immo eo potior: nequit enim removeri a Capitulo, nisi causa probata a S. Congregatione episcoporum, *Barbosa de canonic.* §. 42.: tum quæ Vicarius episcopi nonnisi ex speciali mandato exercere potest, exercet Capitularis sine mandato speciali, *Bened.XIV. de Syn. II.* 9. Ad hæc concursum ad parochias celebrat; præsentatos a patronis instituit, *cap. un. de inst. in VI.*, visitat, sed elapso anno ab ultima visitatione; *Ben. XIV. de Syn. VII.* 53.; Synodum Diœcesanam cogit (at provincialem cogere non est Capituli metropolitani, sed anti-

quio-

quioris Provinciæ epiſcopi, *d. lib. II. 9.*): denique ex Trid. *ſeſſ. 7. de ref.* 10. a die ſedis vacantis dat dimiſſorias ad ordines ſuſcipiendos ſolum *arctatis* ob beneficium receptum, vel recipiendum: & poſt annum etiam aliis ob titulum patrimonii, vel penſionis, Eccleſiæ neceſſitate, vel utilitate conſiderata. Contra apud nos ex Concordato an. 1741. *cap.* 4. *n.* 9. ſine conſenſu Capituli dimiſſorias arctatis concedere nequit: non arctatis ne poſt annum quidem ſine venia S. Congregationis Concilii. Capitulum autem, ſede vacante, ejuſve Vicarius, non facit, quæ ſunt ordinis epiſcopalis, *cap. un. ne ſed. vac. in VI.*, & quæ epiſcopo competunt ex mera delegatione Pontificis (de quibus paſſim ex Tridentina Synodo agemus): nec poteſt aliquid innovare, nec minuere de juribus epiſcopalibus, *tit. Decretal. ne ſede vacante aliquid innovetur*; nec quid alienare; nec beneficia unire, aut diſſociare, aut ea conferre, quorum libera collatio ad epiſcopum pertinet, *cap.* 2. *eod.*

Coadjutores.

§. 215. Coadjutores ſunt, qui episcopis ſenio, perdita valetudine, inſania, aliove morbo laborantibus, ſubſidio ſunt. Primum eorum exemplum eſt in Eccleſia Hieroſolymitana, ubi Narciſſo annos nato 120., Coadjutor datus Alexander, *Valeſius in Euſeb. VI.* 11., *Hier. de ſcriptor. Eccl. in Alexandro.*

§. 216. Coadjutores vel ſine futuræ ſucceſſionis jure, vel cum eo conſtituuntur. Temporarii coadjutores recte dantur, *cap.* 5. *de Cleric. ægrot.*; & quidem poſtulante episcopo, & Capitulo; vel Capitulo tantum, ſi ille contradicat, *cap. un. eod. in VI.*

§. 217. Ob votum autem captandæ mortis, Tridentinum *ſeſſ.* 25. *de Ref. c.* 7. non permittit cum futura ſucceſſione Coadjutorem dari, niſi episcopis, & abbatibus, cauſſa cognita, & probata a Rom. Pontifice. Et olim non omnibus placuerunt hereditarii Coadjutores, ubi ſimul conſecrabantur; ne in una civitate duo eſſent episcopi. Auguſtinus Coadjutor hereditarius datus ſeni Valerio Hippo-

ponensi episcopo, eoque vivente ordinatus, noluit Eradium ordinare, quem sibi, consentiente Ecclesia, elegerat successorem, *Possid. in vit. August. c.* 8. *&* *Aug. ep.* 110. Nesciebat antea, etiam in exiguo Canonum numero, Canonem 8. Conc. Nic. Non enim omnes episcopi Nicæni Conc. exemplaria habebant, & in Africa nullæ adhuc erant Canonum collectiones. Cæterum Nicæni Canonis mens spectat ad schismata tollenda. Coadjutor autem Ecclesiæ unitatem fovet.

§. 218. Coadjutor cum spe successionis dabatur ex episcopi indigentis sententia, atque Conc. provincialis auctoritate, plebe consentiente, sicuti electiones fiebant (§. 159.). Jure novo autem etiam sine successione ejus datio est inter causas majores: unde decreto Pontificis opus est. Quod si Ecclesiæ longe distent, Apostolica auctoritate episcopus ipse cum Capituli consensu Coadjutorem eligit: aut, si demens episcopus fuerit, vel alias non possit, duæ Capituli partes eligent, *d. cap.* 5., *& d. c. ult.*

CHOREPISCOPI, ET PERIODEVTÆ.

§. 219. Chorepiſcopi ſunt τῆς χώρας, *ruris*, ſeu *regionis* epiſcopi; ſeu presbyteri, qui pluribus pagis vice epiſcopi præerant, ac non unam, uti parochi, ſed plures ruris Eccleſias, & metrocomias, h. e. matres pagorum, curabant, *Morin. diſſ.* 2. Nec tamen omnibus pagorum univerſitatibus, ſed in quibuſdam tantum, fortaſſe remotioribus, ab epiſcopo conſtituebantur: unde *villani*, *vicani epiſcopi* Hincmaro Remenſi, *opuſc.*28.: & *vicarii epiſcoporum* dicuntur Ferrando, *Breviar. can. tit.* 79.

§. 220. Per tria priora Sæc. nulla fit apud ſcriptores Chorepiſcoporum mentio, *Bertius de theologic. diſcipl. XXXVI.* 10. Prima in Oriente mentio fit in Conc. Ancyrano ann. 314. *can.* 12. Serius in Occidente; & primum in Conc. Regienſi ann. 439.: ubi tamen non multarum, ſed unius paroeciæ Armentarius a Gallis fuit Chorepiſcopus deſignatus, *Thomaſſ. p.*1.*Lib.*1.*cap.*2. Poſtquam vero Carolus M. ann. 774. ab Hadriano I. Codicem Canonum accepit (§. 97.), ex Græcorum

Ca-

Canonum Dionyſiana verſione, Chorepiſcoporum uſus in Gallia, tum in aliis quibuſdam Occidentis Eccleſiis, maxime invaluit.

§. 221. Magnis animis diſputatum eſt, presbyteri ne, an epiſcopi fuerint Chorepiſcopi? Presbyteros eſſe ſcribit Leo III. *ep. ad epiſcopos Galliæ*; & probatur, quod ii ab uno civitatis epiſcopo, cui ſuberant, conſtituebantur, *Conc. Antioch. can.* 10.; cum epiſcopi a tribus ferme epiſcopis conſecrari debuiſſent (§. 167.); tum duo epiſcopi in una paroecia eſſe non poterant (§. 146.): & Conc. Nicænum *can.* 8. Novatiano epiſcopo ad Eccleſiam redeunti, *Chorepiſcopi locum* dari voluit, *ne in una civitate duo epiſcopi probentur exiſtere*. Tum epiſcopus eſſe non poterat in pago (§. 104.). Tandem, ut alia omittam argumenta, Chorepiſcopi *ad exemplum* 70. *diſcipulorum* inſtituti dicuntur Conc. Neoceſar. *can.* 13. Attamen fateri oportet, eos quandoque veros epiſcopos fuiſſe, *d. can.*10.; ſeu ob quorumdam epiſcoporum in proprio munere exercendo negligentiam, ſeu cum ad Chorepiſcopatum veniebant epiſcopi gradu ſuo ejecti. *V. Marcam*, *II.* 14., *Morin.*

p. 3. *exer.* 4., *Cabassut. Notit. Eccl. Sæc. IV. in can.* 13. *Ancyr.*, *&* *Thomass. p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 1. *& seq.* Nec moror contrariæ ſententiæ patronos *Hammod. de jurib. episc. diss.* 3. *c.* 8., *Bevereg. Not. ad Conc. Ancyr. in tom.*2. *Pand. Can.*, *Bing. l.* 14., *Rabanum Maurum op. de Chorepisc.*

§. 222. Plus Chorepiſcopis, quam parochiarum presbyteris datum eſt. Illi namque minores ordines conferebant (ſed epiſcopo in ſingulas vices mandante, ex veteri diſciplina, *Basil. ep.* 181.; poſtea vero generali delegatione ex Conc. Antioch. *can.* 10.): Clericis ruralibus in aliam Diœceſim abeuntibus litteras *pacificas*, ſeu *formatas* dabant, *Conc. Antioch. can.* 8.: in Conciliis ſedebant, ac ferebant ſuffragium (De Marca autem putat, id non proprio, ſed episcoporum ſuorum nomine feciſſe, *Lib.*2.*c.*13.): non poterant vero presbyteros, & Diaconos creare: Canonis autem 13. Ancyrani Græcus textus corruptus eſt: nec bene vertit Iſidorus *præter conſcientiam epiſcopi civitatis*: ejusque ſenſus eſt, non licere Chorepiſcopis presbyteros, ac Diaconos ordinare: ſed nec presbyteris civitatis quidquam in ſua paroecia facere,

re, *nisi* eis *permittatur ab episcopo*, *V. De Marca l.* 14.. Denique *regionem* suam lustrabant: hinc *περιοδευτας*, sc. *circuitores*, *visitatores* eos nuncupat Conc. Laodicenum *can.* 57.

§. 223. Attamen Chorepiscopi separandi sunt a Periodevtis. Separat sane Justinianus, *L.* 42. §. 9. *C. de ep. & Cler.*, quidquid dicat Salmasius *de primat. c.* 1. Chorepiscopi namque omnes erant Periodevtæ; non omnes Periodevtæ erant Chorepiscopi, *De Roye Inst. Can. l.* 15. Et in Orientali Ecclesia illi erant presbyteri, qui nullibi propriam sedem habebant, sed rusticanas paroecias episcopi nomine visitabant (hoc nomen & medicis Modestinus tribuit *L. 6. de excusat. V. Menag. amoen. c.* 32.). Exoleverunt Sæc. XII.: iisque, mutato nomine, *Exarchi* successerunt, *Balsam. in can.* 57. *Laodic.* Apud Latinos *Visitatores* quoque fuere, *Greg. M. Lib.* 3. *episc.* 2. *ad Maxim. Syracus. ep.* Bingamus vero, *quia act.* 4., *&* 10. *Conc. Chalced.* *περιοδευτας* dici presbyteros, observavit, idque suæ, in quam descenderat, sententiæ de Chorepiscoporum episcopatu adversari, scribit, a Conc. Laodiceno Periodevtas Chorepiscopis substitutos fuisse, ut horum

potestas infringeretur. At contra post Laodicenum Chorepiscoporum potestas adhuc in Ecclesia vigebat.

§. 224. Chorepiscopi ad rurales Archipresbyteros proxime accessisse videntur; atque iis sublatis Archipresbyteri successerunt in illis locis, in quibus Chorepiscopi erant. Nam in Italia, & alibi, nunquam Chorepiscopi fuere; sed Archipresbyteri rurales, qui decanias regebant. Quod vero illi episcoporum jura invadere voluerunt, eorum usus in Occidente circa ann. 798. sublatus fuit a Leone III. *in Capitular. Caroli M. VI.* 119.: at in quibusdam Ecclesiis, episcoporum forte desidia, *Hincm. Rhem. ep.* 45., etiam permanserunt usque ad XI. Sæc., *Thomass. c.* 2.; cum episcopi ab iis creandis cessarunt. Nam Chorepiscopos modica stipe conductos vacantibus Ecclesiis solebant principes præponere, *Flodoard. Hist. Rhemens. III.* In Oriente diutius perdurarunt. Sed jam desierant tempore Balsamonis, *Balsam. in can.* 13. *Ancyr.*; h. e. Sæc. XII., ac successerunt ibi *Protopapæ*. *V. Morin. de sacr. ord. p.* 3. *exerc.* 15. *c.* 2. *Joseph. Morisanus diatriba de Protopapis, & Deutereis Græcor.*

CA-

CANONICI.

§. 225. Primitus non solum Clerici, sed & laici fideles communem vixerunt vitam, *Thomass. p.* 1. *L.* 3. *c.* 2.: nulli tamen fuerunt per tria Sæc. Clericorum commune viventium conventus. Primus Augustinus, cum episcopus fuit, in *episcopi domo* instituit *monasterium Clericorum*, qui *aliquid* proprium habere non poterant, ut ipse ait *serm.* 49. *&* 50. *de diver.* In aliis autem Ecclesiis, si Africanas excipias, Augustini exemplum nullum robur habuit: ac solummodo intra cœnobia Monachi communem vivebant vitam. Restaurata tamen fuit communis Clericorum vita in Hispania a S. Isidoro Hispalensi, in Anglia a S. Egberto Eboracensi, in Gallia a Crodogango Metensi (cujus regula a Ludovico Pio proposita fuit in Conc. Aquisgranensi anno 816.), & in Italia a Petro Damiano. Ita *Canonici* proprie dicti (olim namque omnes Clerici hoc nomine donabantur, quia in *canone*, seu in Ecclesiæ matricula scripti erant), qui nullis nuncupatis votis, in unam societatem sub cer-

ta regula abiere, deducendi sunt ab regula Chrodogangi Metensis episcopi, Pipini tempore. Eusebius enim Vercellensis, & Augustinus, præter evangelium, & canones, nullam regulam statuerunt. Monachi e contrario ferme erant laici., & sollemni votorum professione monachi fiebant.

§. 226. Quoniam vero in d. Conc. *cap.* 115. aliquid proprium habere Canonicis permittebatur, quod tamen, urgente Petro Damiano, a' duobus Rom. Conciliis prohibitum fuit, post Sæc.XII. in omnibus Ecclesiis communis vita defecit, *Ivo Carnot. ep.* 60., & 213. Hinc distingui cœpit *mensa episcopi* a *Capituli mensa* : & *Canonici Regulares* a *Canonicis Sæcularibus*. Illi novi Canonici votis monasticis adstricti sunt ; & sub regula Augustini inclaruerunt, *Thomass. p.* 1. *L.* 3. *cap.* 11. Hi vero inter sæculares viventes, portiones, seu *præbendas* (nomine a re militari ducto) habent de Capituli bonis; suntque aut in Cathedralibus, seu Episcopalibus Ecclesiis, aut in minoribus, quas Collegiatas dicunt, *Roye Inst. Can. l.* 19. *Thomas. d. loc. c.* 9. : unde illæ voces, quæ ταυτολογιαν, atque εναντιλογιαν præseferrent, diversos canonicorum ordines

nes indicant. Et quæ *Monasteria* Canonicorum erant, *Capitula* dicta sunt; eaque præpositos suos habent, qui sunt Decani in multis Ecclesiis. De Capituli Dignitatibus infra dicemus, cum de Beneficiis sermo fiet.

§. 227. In *Senatu* Ecclesiæ olim omnia peragebantur. Cum vero Clerici ab illa vitæ communione desciverint, triplex rerum agendarum ratio instituta est. Quædam enim solus episcopus facit, *tot. tit. de iis, quæ fiunt a Prælat. sine consens. Capit.*, alia Capitulum solum, *ut passim in tit. de Const.*, alia episcopus, & Capitulum simul, *cap. 1. de iis quæ fiunt &c.* Præcipue Canonistæ Capituli consensum requirunt in caussis, quæ ad Capitulum spectant; in alienandis rebus Ecclesiasticis; & in Ecclesiis, Beneficiisque uniendis. De Capitulo sede vacante, modo dictum est (§. 213.).

§. 228. Canonici præcipue debent Divinum officium persolvere, *Trident. sess. 24. de Ref. c. 12.*, & *per se, non per substitutos*. Quare distributiones quotidianæ institutæ sunt, ut iis, qui assidui horis canonicis intersunt, præbeantur. Proinde Trident. *sess. 21. de Ref. c. 3.* tertiam

tiam fructuum, & quorumcumque proventuum separari, & in distributiones quotidianas converti jussit. Debent propterea canonici residere (excipe Principes, ubi pro reli ione sua canonici creantur); nimirum Ecclesiæ servire; ita tamen, ut possint ternis mensibus in singulos annos abesse, *Trid. sess.* 24. *c.* 12.; quod intellige, si justa quædam absentiæ sit causa. At possunt Canonici ultra tres menses abesse ex justa causa, *Espen. p.* 1. *tit.* 7. *c.* 8. Duæ præcipuæ sunt: altera, si episcopi, tanquam Rectoris Ecclesiæ, negotium procurent, *cap.* 7., & 15. *de Cleric. non resid.*, quod ad duos Canonicos restringunt Canonistæ: altera, si in Lyceo quodam sacris incumbant studiis, *cap.* 12. *eod. Trident. sess.* 25. *de Ref. c.* 1., cum episcopi tamen venia. Absentes ex justis causis præbendarum fructus habent; non item distributiones, quæ tantum in choro præsentibus dantur, sc. iis, *qui statis horis interfuerunt*, uti Trid. *d. c.* 12. ex decreto Bonifacii VIII. *in cap. un de Cleric. non resid. in VI.*: ubi tamen *exceptis illis*, *quos infirmitas*, *seu justa*, & *rationabilis corporalis necessitas*, *aut evidens Ecclesiæ utilitas excu-*

sant,

sant, intelligendum, si ita ferat peculiaris Ecclesiæ consuetudo. Quæ autem distributiones absentibus denegantur, in pios usus episcopi arbitrio converti debent, *Trid. sess.* 22. *de Ref.* c. 3.

PRÆLATI INFERIORES.

§. 229. Sunt in Occidente inferiores Prælati, inter presbyteros, atque episcopos medium gradum habentes: iique (sive sæculares, sive regulares, ab episcopi sui jurisdictione exemti) antistites sunt sine ordine episcopali, qui jure suo quasi episcopalem jurisdictionem in Ecclesias & personas sibi subjectas habent. Sæculo XI. innotuerunt ob inductas exemtiones quarumdam personarum, locorumque per Sedem Apostolicam, ab episcopi subjectione: unde Bernardi querelæ *ep.* 41., & *de consid. ad Eug. III. c.* 3.

§. 230. Prælati autem inferiores aut ab episcopali diœcesi separatum territorium habent, ac proprie dicuntur *prælati nullius diœcesis*, vel *ordinarii locorum*, *V. Bened. XIV. de Syn. Dioc. XIII.* 8.: aut Ecclesiam habent *in diœcesi*, non *de diœcesi*, ut ajunt; sc. ab episcopi jurisdi-
ctio-

ctione, sed in ejus dioecesi, exemtam; aut denique præsunt certis personis degentibus intra quamdam Ecclesiam, vel Monasterium. Ita sunt superiores regulares, & quidam sæculares prælati, qui cum Ecclesia, & Clero, cui præsunt, ἀμέσως Rom. Pontifici subsunt.

§. 231. Licet vero prælati inferiores habeant potestatem *jurisdictionis* episcopalis, multa tamen, quæ ad jurisdictionem pertinent, exercere non possunt: ex. gr. Dioecesanum Conc. habere (nisi ex privilegio; uti habet in Regno Abbas Casinensis): nec paroecias conferre (quia examinatorum electio a potestate habendi Concilii dependet; unde eas confert in territorio separato vicinior episcopus, in territorio intra dioecesim, episcopus dioecesanus); nec litteras dimissorias ad ordines suscipiendos subditis suis non regularibus dare, *Trid. sess.* 23. *de Ref.* c. 10. (nisi ex privilegio Apostolicæ Sedis; uti habent Abbas Casinensis, & Cavensis): nec ferre excommunicationes, quæ, præmissis monitionibus, fiunt ad hoc, ut res deperditæ, vel subtractæ revelentur, *Trident. sess.* 25. *de Ref. c.* 3.: nec judicare, an asylo gaudeant exceptorum cri-

criminum rei, qui ad Ecclesiam confugerunt, *Concord. anni* 1741. *c.* 2. *art.*8.

§. 232. Etsi autem quæ episcopalis *ordinis* sunt non habeant inferiores prælati, quasdam tamen episcopis reservatas functiones beneficio Sedis Apostolicæ peragere possunt; a qua etiam pontificalia ornamenta, atque insignia passim obtinuerunt. Quare ex privilegio regulares Abbates, si sacerdotes sint, ac sollemnem Abbatis consecrationem habuerint, in separato territorio subditis tantum suis regularibus minores ordines conferunt; chrisma conficiunt, & conferunt; sollemnem populo benenedictionem præbent; atque altaria consecrant.

EPISCOPI.

§. 233. Hoc loco de episcopis pro eorum officio, ac jurisdictione agendum esset. Verum jam satis multa de iis *toto cap.* 7. occupavimus.

METROPOLITANI.

§. 234. Metropolitani, qui olim etiam *primæ cathedræ*, aut *primæ sedis episcopi*, *pri-*

primates, & *exarchi provinciæ* appellabantur, *Bingh. II. 16.*, sunt Archiepiscopi: eorumque institutio vetustior est Nicæno Conc., uti ex ejus *can. 4. 6. & 7.*, ubi de iis prima mentio occurrit. Metropolis est *urbs mater*, seu princeps Provinciæ. Ecclesiam primitus civilium metropoleων divisionem sequutam fuisse, *Syn. Antioch. can. 9.*; tum præter civilem illam divisionem ex Ecclesiæ utilitate, aut necessitate Ecclesiasticas Metropoles institutas fuisse, superius diximus (§. 104.). Quare Metropolitarum originem a moribus Ecclesiarum melius repetit Dupinius, *Diss. 1. de antiqu. Eccl. discip.*, quam ab Apostolis De Marca *VI. 1.* aliique. Observandum hic est, circiter VIII. Sæculo novos *Archiepiscopos* a *metropolitanis* distinctos, institutos fuisse, qui nullos sub se episcopos habebant, sed honoratiores, digniore sque inter alios provinciæ episcopos censebantur, sine metropolitica potestate: atque επισκοποι αυτοκεφαλοι, *sui juris* sæpe audiebant; quia non metropolitano, sed immediate Patriarchæ subjicebantur. Ita apud nos sunt episcopi Catanensis, & Hydruntinus a Cpolitanis Patriarchis (schismatis tempore, ad Cpoli-

litanæ Ecclesiæ potentiam augendam) constituti; necnon Nazarenus, & Lancianensis a Rom. Pontificibus

§. 135. Jurisdictionem Metropolitani accipiunt per traditionem Pallii, quod sumunt *de corpore B. Petri*, *cap.* 4. *de elect.*: & antea nihil possunt jurisdictionis exercere, *cap.* 28. *eod.* Quare in Pallio *plenitudinem Pontificalis officii* contineri, dicitur *in cap.* 3. *de usu*, *&* *auctor. Pallii*. Et viceversa olim Pallii ademtio fuit depositionis signum. Certa non videtur esse Pallii origo. Primum apud Græcos Pallii (quod initio erat vestis imperialis; inde in exiguam abiit fasciam) usum invaluisse; tum non ante VI. Sæc. in Latina Ecclesia, monstrant de Marca *VI. 6.*, Thomassinus; *p.* 2. *Lib.* 1. *c.* 24., *&* *seqq.* & Franc. Florens *tract. de auct.*, *&* *usu pallii*. Illud olim Patriarchæ de assensu Impp. Metropolitis communicabant: postmodum Romani Pontifices iis dabant Metropolitis, qui vices suas in provinciis sustinebant: tandem Metropolitis omnibus; qui intra tres a consecratione menses illud *fortiter* petere debent, *can.* 2. *dist.* 100., consueta formula *instan-*

 ter,

ter, *instantius*, *instantissime*.

§. 236. Anteferendæ crucis privilegium primum Legatis Apostolicis concessum, tum Patriarchis, *Thomass. p.* 4. *Lib.* 1, *c.* 39., quibusdam Metropolitanis quoque dari cœpit: tandem omnibus; quod supponit Clementina 2. *de privileg.* Auctoritas vero Metropolitanorum magna olim fuit. Apud eos suffraganei episcopi accusari debebant, *Conc.Carth.III,can.*1., atque ab iis excommunicabantur, *Hon. III. in cap.* 3. *de sent. excomm.* Quam potestatem imminuit Tridentinum, cum *sess.* 13. *c.* 8. *de Ref.*, & *sess.* 24. *c.* 5., statuit, *ut causæ criminales graviores contra episcopos . . . . ab ipso tantum Summo Pontifice dignoscantur . . . . minores in Concilio tantum Provinciali*. Cum autem de civilibus causis nihil cavit, stat adhuc jus vetus, Metropolitanos judices suffraganeorum ordinarios esse. Tum ii suffraganeorum diœceses olim lustrabant, *cap.*1.*de censib. in VI.* Quod Trident. probavit, sed causa in Provinciali Concilio cognita, *sess.* 24. *c.* 3. *de Ref.* At pleraque Metropolitica jura lapsu temporis ferme abolita; atque Romanæ Sedi accesserunt.

§. 237. Provincialem Synodum Metro-

tropolitanus cogere debet, *Conc. Nicæn. can.* 5., *Antioch. can.* 20., eoque legitime impedito, vel vacante Metropolitana ſede, *uti Fagnanus in cap.* 25. *de accuſ.*, antiquior coepiſcopus, *Trid. ſeſſ.* 24. *c.* 2. *de Ref.* Et quidem bis in ſingulos annos ex *d. can.* 5.: quod reſtituit Chalcedonenſe Conc. *can.* 19.: tum ſemel *ex Juſtin. Nov.* 137. *c.* 4.: tandem Baſilienſis Concilii Patres unam *ad minus* quolibet triennio Provinc. Synodum decreverunt. Idem in Lateranenſi Syn. Leonis X., & in Trident. *d. loc.*

Exarchi, Primates, Patriarchæ.

§. 238. Exarchi proprie in Oriente fuerunt primi inter epiſcopos: & aut dicebantur Exarchi *Diœceſeωn*, qui erant iidem, ac Patriarchæ, de quibus mox dicemus: aut *provinciarum*, erantque ipſi Metropolitani, qui provinciis præerant; ſed cæteris Metropolitanis dignitate, ac honore ſuperiores; Patriarchis vero inferiores. Id in Orientali Eccleſia ſaltem de tribus verum eſt; nimirum de Exarcho Epheſino in diœceſi Aſiiana, de Cæſareenſi in Pontica, & de Heracleenſi in

Thracica. Instituto autem Cpolitano Patriarchatu (§. 243.), statim huic obnoxiæ eæ diœceses evaserunt. Exarchis vero Orientalibus fere similes sunt Primates Occidentales: nisi quod hi non jure suo, sed potius a Rom. Pontificibus mutuato, utebantur: sicuti postea fuere *Legati nati*. De Primatibus mox opportunius sermo instituetur.

§. 239. Patriarchæ, nomine fortasse e Synagoga Judaica in Ecclesiam traducto, sunt post Rom. Pontificem primarii Antistites, qui pluribus Provinciis, ac Metropolitanis præsunt. Eos *Summos Patrum*, *ac Patrum Principes* interpretatur Isidorus *can.* 1. *dist.* 21., *Archiepiscopos* vero, cum latius hoc nomen patebat, vocavit antiquitas, *Conc. Chalced. act.* 1., *Just. Nov.* 11. Audierunt ii quoque, uti dictum est, *Exarchi diœceseos*, *Conc. Antioch. act.* 14. Diœcesis vero plures continebat Provincias. *V. Brissonium*. Patriarcharum, qui veri, & ordinarii fuerunt, primum mentio fit in Conc. Chalced. *act* 2. *V. Bingh. Orig. II.* 17. §. 3.

§. 240. Originem patriarchici juris ab Apostolis quidam repetunt; nullo tamen certo argumento: alii a can. 6. Conc. Ni-

Nicæni: alii a temporibus Nicæno Conc. antiquioribus, quia Canonis 6. verba hæc sunt, *antiqui mores serventur*. Launojus vero, *de recta interpret. can. 6. Nic.*, aliique, Patriarchas institutos fuisse in Syn. Cpolitana anno 381., defendunt: ac putant, potestatem episcoporum Alexandrini, & Romani, tempore Conc. Nicæni receptam, licet per plures Provincias diffusam, Metropoliticam potius, quam Patriarchalem fuisse.

§. 241. Patriarchatuum antiquissimi fuere Romanus, Alexandrinus, Antiochenus; quorum institutio ex Apostolorum voluntate, ac traditione dimanavit: neque tamen patriarchica dignitas ab Apostolatu, sed a primatu descendit Apostolorum. Præstat Romana patriarchica Sedes, quam Petrus ipse ann. 25. rexit. Præstat Alexandria Antiochiæ; licet Petrus hanc per se ipse immediate statuerit, illam per Marcum discipulum: idque non ex ordine civili, uti putant multi post Cabassutium *Diss. de provinciis Ecclesiast.*, sed quia Alexandrinam Ecclesiam gubernavit Marcus Evangelista; Antiochenam Evodius, qui neque Apostolus, neque Evangelista fuit. E re itaque Christianorum

publica fore primi Ecclesiæ Patres judicarunt, in primariis Romani Imperii Urbibus Patriarchas constituere.

§. 242. Romanus igitur Pontifex præter primatum in universa Ecclesia, patriarchicam quoque obtinet dignitatem, de qua nunc pauca dare oportet. Sane is usque ad finem IV. Sæculi Metropolitanus fuit universæ Italiæ. Postmodum ob institutionem Metropolitanorum Mediolanensis, Aquilejensis, & Ravennatensis, imminuta fuit metropolitica ejus provincia, & Patriarcha dioeceseos Italiæ evasit: tum etiam institutis Metropolitanis in urbicaria dioecesi, hujus quoque is Patriarcha fuit. Sane quatuor Præfectis Prætorio a Constantino M. Romani Imperii regimine commisso, Præfecto Prætorio Italiæ tres suberant dioeceses, Italica, Illyricum, & Africa. In regenda Italica dioecesi duo erant Vicarii; unus Romæ, cui decem suberant provinciæ, quæ *urbicariæ*, & *suburbicariæ* audiunt, sc. Campania, Tuscia & Umbria, Picenum suburbicarium, Sicilia, Apulia & Calabria, Lucania & Brutii, Samnium, Sardinia, Corsica, & Valeria: alter Mediolani, sub quo septem reliquæ erant provinciæ, & *Italicæ* proprio

prie dictæ sunt, sc. Venetiæ & Istria, Æmilia, Liguria, Flaminia & Picenum Annonarium, Alpes Cottiæ, Rhætia prima; & Rhætia secunda. Hæ omnes unam constituebant olim Ecclesiasticam provinciam, cui unus præerat Rom. Metropolita, qui in Italiæ Præsules, utpote suffraganeos, metropolitica jura exercebat; præcipue ordinandi, ad Synodum cogendi, & judicandi. Quoniam vero non erant in Italia Metropolitani usque ad IV. Sæc., Rom. Pontifex nondum erat Italiæ Patriarcha. Emerserunt autem plures Metropolitani primum in diœcesi Italica, stricte sumta; postea sensim in urbicaria, quia Ecclesiastica disciplina ad Vicariorum politiam aptari cœpit. Hinc sensim etiam patriarchica in hos jura a Rom. Pontifice quæsita. Præcipua autem Canonis VI. Concilii Nicæni verba ita e Græco textu latine, germana interpretatione, redduntur: *antiqui mores serventur in Ægypto, & Libya, & Pentapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem: quandoquidem & Episcopo Romano eadem est consuetudo. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque Provincias, suis privilegia ser-*

ventur Ecclesiis. Iis vero, qui putant, Rom. Pontificis primatum intra solius angustos Patriarchatus limites contineri, repone dicti Canonis initium, *Ecclesia Romana semper habuit Primatum*. Fines autem Alexandrini Patriarchatus in eo Can. expositi fuere, non item Romani. Rufinus vero *Hist.Eccl.l.6.* ita Canonem e Græco vertens aperuit; *& ut apud Alexandriam, & in Urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum Ecclesiarum sollicitudinem gerat*. Suburbicarias Ecclesias non esse intra centesimum ab Urbe lapidem, uti putarunt Jac. Gothofredus, & Cl. Salmasius, ostendunt Jac. Sirmondus, & Dupinus *de ant. Ecc. Discip. Diss.* 1. §.*ult.* Esse totum Occidentem, putarunt Morinus *Lib.* 1. *Exercit.* 30., De Marca *l.* 3. *& seq.*, aliique. At patriarchica jura *stricte* sumta, & *immediate* in Ecclesiis suburbicariis exercuit Rom. Pontifex; licet universi Occidentis is Patriarcha sit. Rectius Dupinus *d. loc.*, Sirmondus, aliique statuunt, eas esse decem mox enumeratas, quæ Vicario Urbico parebant. Cæterum Nicæni Patres de provinciis suburbicariis agere non poterant; scripserunt enim

enim anno 325.. Contra Italia a Constantino eo modo divisa fuit anno 330.

§. 243. Insuper in Syn. Chalcedonensi *act.* 15., & *can.* 28. ex Ephesino, Cæsareensi, & Heracliensi Exarchatibus constitutus fuit Cpolitanus Patriarchatus. Sane Cpoli Rom. Imperii translata sede, ejus episcopi a Conc. Cpolitano *can.* 3. fuerunt dignitate Patriarchatus donati: qui tamen canon, tanquam Nicæno contrarius, fuit ab omnibus Pontificibus, usque ad Innocentium rejectus. Tum Conc. Chalcedonense *can.* 28. Cpolitanæ Ecclesiæ Patriarchatus dignitatem reddidit. At eum Canonem Leo M., & alii quidam ejus successores repulere: donec propter Impp. preces alii receperunt.

§. 244. Successit Patriarchatus Hierosolymitanus, in eadem Chalcedonensi Syn. institutus. Per IV. priora Sæc. episcopatus Hierosolymæ fuit, dignior licet aliis. Juvenalis vero ejus episcopus a Theodosio Juniore Patriarchatus dignitatem exoravit. Imperator rescripsit, ut is jurisdictionem exerceret in Metropolitanos trium Palæstinarum, & utriusque Phœniciæ, & Arabiæ. At Patriarcha Antioche-

chenus de ea re conquestus, fuit juri suo restitutus. Lis autem inter utrumque Patriarcham ita in Chalced. Conc. finita fuit, ut utraque Phœnicia, & Arabia Patriarchæ Antiocheno; prima Palæstina Hierosolymitano Episcopo, uti Metropolitano; aliæ duæ, uti Patriarchæ, subjacerent.

§. 245. Majores Patriarchatus retulimus. Successu temporis alii instituti fuere, qui minores dici possunt, sc. Aquilejensis, Gradensis (qui hodie Venetus appellatur), Indianus, & Lusitanus, *Thomass. p. 1. L. 1. c. 21. de Marc. Diss. de Primatibus num.* 20. . Quin & hodie *titulares* Patriarchæ a S. Sede creari solent, qui prærogativam habent nominis, & honoris, non jurisdictionem; quia in Ecclesiis non resident. Proinde nec pallio, quod potestatis indicium est, utuntur. Reticendum hic non est, præter Romanam, alias Patriarchales Ecclesias tandem hæresibus fractas fuisse: tum Orientales Patriarchatus in multas abiisse divisiones. Unde ex Antiocheno, & Hierosolymitano emerserunt Patriarcha Maronita (qui catholicus est), Jacobita, Armenus, Georgianus: ex CPolitano, & Alexandrino, Cophtus, Abyssinus, Mosco-

scovita, *V. Thomass. p.* 1. *L.* 1. *c.* 24. *& seq.*

§. 246. Jura Patriarchalia, Metropoliticis ampliora, sunt; ordinare, *Conc. Chalc. can.* 28., *Nov.* 7. *c.* 1. *Nov.* 131. *c.* 3., ad Synodum, cui præerant, sibi subjectos episcopos vocare, *Theodoret. ep.* 81., Metropolitanis in gravioribus caussis respondere, *Conc. Chalced. act.* 4., Metropolitanos, ac horum suffraganeos, si Metropolitani ipsi cessarent, Ecclesiasticis subijcere censuris, *Nov.* 137. *c.* 5., & contra Metropolitanorum sententias appellationes recipere, *Conc. Chalc. can.* 9. *&* 17., *L.* 29. *C. de episc. aud.*, *Nov.* 123. *c.* 22.

§. 247. Porro Primatem idem esse, ac Metropolitanum, putant multi: alii vero idem, ac Patriarcham: complures vero medium inter utrosque esse existimant. Certe vox *Primas* e re civili (sunt enim in legibus *Primates Civitatum*, *& Officii. V. Briss. de V. S.*) ad Ecclesiasticam traducta, primum Metropolitanis aptata fuit, *Conc. Taurinens. can.* 397. *can.* 2. Ita erant Africani Primates, *can.* 19., *&* 28. *Collect. African. Concilior.* Ab aliis Ecclesiis differebat Africana, quia Primatus non Civitati, sed personæ in ordina-

natione antiquiori dabatur, excepta Ecclesia Carthaginensi, *De Marca diss. de Primat.* At mediis Sæculis Primates dicti sunt episcopi pluribus Metropolitis, ac Provinciis præfecti, quales sunt Patriarchæ. Ita primum dicti sunt in falsis epistolis Decretalibus Clementis, Anacleti, Aniceti, Lucii, aliorumque Pontificum Siricio antiquiorum, quas Pseudo-Isidorus commentus est: & fortasse ex male intellectis *can.* 9., *&* *can.* 17. Conc. Chalced.; ubi dicitur, Clericos, & episcopos *apud Primatem Diœceseus* de Metropolitano queri posse. Hinc mirum non est, si apud Burchardum, Ivonem, Gratianum, & in Decretalium libris Primates sint Patriarchæ. Nec mirum, si *in cap.* 2. *de for. compet.* Metropolitanus dicatur *Primas*. Nam desumtum est ex Concilio Africano, quod vetustius est apocryphis illis Decretalibus. Quod in Conc. Chalcedonense *can.* 6. cautum est, *si quispiam a suo Metropolitano læditur, apud Primatem Diœceseus, aut apud sanctam Cpolitanam Sedem judicetur*, id non denotat, Exarchum infra Patriarcham fuisse: sed hic Primas Diœceseus Patriarcha est. Fuit autem actori potestas data actionis apud quem vellet in-

intendendæ; fuitque peculiari jure, & extra ordinem Cpolitano Episcopo concessum, ut de causis Metropolitanorum non suæ dioecesis, primo judicio per Orientem decerneret. Ita ex *act.* 10. *Conc. Chalced.*. Sed hoc privilegium postea defecit, uti ex Justin. *Nov.* 123. *c.* 22.

§. 248. Igitur nunc a Patriarchis proprie sic dicti distant *Primates*, qui pluribus præsunt Metropolitanis, sed Rom. Pontifici, tanquam Patriarchæ subsunt. Ita instituti in Occidente sunt, ut diximus, ex falsis Decretalibus, *De Marca d. diss. n.* 23., *Thomass. p.* 1. *Lib.* 1. *c.* 30., & *seq.*, ut post Rom. Imperii eversionem civitates Regnorum principes, in ordine quoque Ecclesiastico potestate augerentur. Unde Isidorus Mercator Apostolica auctoritate *Primates* fuisse constitutos ait, *can.* 1. *dist.* 49., ac veluti medios inter Metropolitanos, ac Pontificem ponit, *can.* 7, & 15. *caus.* 2. *q.* 6. Hinc Primates, præsertim Lugdunensis, Bituricensis, Arelatensis, aliique in Galliis; Hispalensis, & Toletanus in Hispania; Cantuariensis in Anglia; Moguntinus in Germania; Pisanus in Italia; & in Regno nostro Salernitanus, ex Diplomate Urba-

ni

ni II. *Baron. ad ann.* 1099., *Ughell. Ital. sacr. tom.* 7. Beatillus vero *in hist. Baricns.* nonnisi patriæ amore Bariensi archiepiscopo Primatis prærogativam tribuit. Primatibus jus anteferendæ crucis, & appellationes a Metropolitanis concessæ sunt. Hodie Lugdunensis solummodo jus appellationis habet a Metropolitanis Turonensi, Senonensi, & Parisiensi: alii nonnisi honoris prærogativam.

ROMANÆ ECCLESIÆ LEGATI.

§. 249. Licet Ecclesiæ omnes legationis jure donentur, *De Marca V.* 2., eminent tamen inter Legatos Ecclesiasticos Legati Pontificii, qui vel ad explicandam jurisdictionem, vel ad negotia tractanda mittuntur: suntque vel *missi*, vel *nati*. Missi pro arbitrio Pontificis mittuntur; sc. ad Synodos generales, ad alias Ecclesias, vel ad Principes negotiorum causa; Et quidem hi vel mittuntur, prout negotia poscunt; atque, his expeditis, eorum cessat officium: vel assidui negotiis omnibus in aula apud Principes præficiuntur. Assidui dicti olim fuere a Græcis Sæc. VI. & sequentium scriptoribus *apocrisarii*, & re-

responsales, quia responsa, seu mandata eorum, unde missi erant, exsequebantur: ἀποκρίσεις enim responsio est (§. 187.); sed nullam habebant potestatem, nisi specialiter mandatam, *De Marca V.* 17.

§. 250. Legati *nati* legationem Apostolicam in quibusdam Ecclesiis, quæ perpetuo adnexum habent Apostolicum vicariatum, exercent. Una Romana Ecclesia hujuscemodi habuit Legatos, ex assiduis inductos legationibus, & postea ex privilegiis. Hi jura ipsa patriarchica Rom. Pontificis habebant, sed quæ salvam relinquerent mittentis potestatem. At Sæculis X., & sequentibus ipsa episcoporum, & Metropolitanorum jura ad se transtulerunt. *Fleuryus disc*, 4. *in diss.*

§. 251. Ex tanta potestatis accessione Legati vel *missi* dicti sunt, qui mandato Pontificis legationem exercent, sed non sunt Cardinales, vel a *latere*, qui sunt Cardinales Apostolica aucti legatione: nam hi novo jure strictius adhærescunt Pontifici; ejusque *coadjutores*, & veluti *collaterales*, loco Synodi Romanæ, evaserunt. Novis istis legatis omnem Pontificiæ potestatis plenitudinem mandare Pontifices consueverunt: unde in episcoporum, & Me-

Metropolitanorum Synodis unius legati suffragium omnibus æquivalebat ; *De Marca VI.* 30.; Legatorumque poteftas, olim delegata, ordinaria evafit, *cap.* 10. *de off. leg. cap.* 11. *eod. in VI.*

§. 252. Decretalium jure Legati a latere majorem poteftatem habent; minorem miffi; nati minimam : ut nimirum ab arbitrio Pontificis conferretur poteftas. Multa autem ipfis a latere Legatis denegata fuerunt; uti epifcoporum translationes, epifcopatuum unio, aut divifio, & alia, *Florens in tit. de off. legati*. Unde fpeciali opus effet conceffione, ut Legati exerceant, quæ legationis officio non continentur. Verum Legatorum faftus in caufa fuit, ut Principes decreverint, ipfis non petentibus, aut non confenfientibus, Legatos fibi fubjectas provincias intrare non poffe.

§. 253. Pleræque hereditariæ legationes inftitutæ quoque fuere; uti ea, quam noftri Reges in Sicilia exercent, Urbani II. conceffione facta Rogerio Calabriæ, & Siciliæ Comiti, ex Diplomate Salerni dato anno 1093.; de quo vide Fazzellum *Hift. de reb. Sicul. VII.* 1. Unde fpirituali in Siciliam poteftate aucti funt ; quod

quod Siculi *Monarchiam* dicunt: Hereditariam istam legationem in universam Rogerii ditionem concessam fuisse, patet ex verbis *in terra potestatis vestræ*: ac revera delatam *per totam Siciliam*, *& sui juris Calabriam*, confirmat Gaufredus Malaterra, monachus Benedict., Rogerio Comiti coævus, *Hist. Sicul. IV.* 29. Ea tamen restricta fuit ad solam Siciliam ab ipsa Normannorum ætate. Nam fœdere inito inter Hadrianum IV., & Guilelmum I., Siciliæ Regem, anno 1158., statutum est, ut Romana Ecclesia in Apulia, & Calabria libere legationes exerceret. Hanc legationem Baronius tomo XI. Annalium, qui a Philippo III. proscriptus fuit, impugnavit. Profligarunt vero ejus argumenta & Siculi scriptores permulti *apud Grævium thesaur. antiq. Ital. tom. 9.*, & Dupinus *dans la defense de la Monarchie de Sicile*. Siculam Monarchiam abolevit Clemens XI. an. 1714. Const. *Romanus Pontifex*. Confirmavit vero Bened. XIII. ann. 1728. Const. *fideli ac prudenti tom.* 12. *Bullar.*, & Car. VI. Imp. Pragmatica ann. 1729.

§. 254. Legatorum potestas sensim decrevit. Tridentinum *sess.* 24. *de Ref. c.* 20.

20. statuit, ut Legati etiam a latere, minime impediant episcoporum jurisdictionem. Ii, moribus receptis, procurationes ab Ecclesiis non exigunt. Qui vero *quasi legati* á latere resident apud Principes, non omnes prærogativas habent. Nuntius Apostolicus apud Regem nostrum, veluti apocrisarius est; reditus Apostolicæ Cameræ colligit; atque judex delegatus est exemtorum a jurisdictione episcoporum, & cameralium redituum. Itaque veteribus *Missis* respondere videntur Jure novo *Legati a latere*; *Vicariis* (de quibus §. 206.) *Legati nati*; & *Responsalibus* *Nuntii*, sive *Internuntii*. *Espen. p. 1. tit. 21. c. 1.*

CARDINALES.

§. 255. Cardinales Romanæ Ecclesiæ hodie ipsis dignitate præstant Patriarchis. Olim a V. Sæculo dicebantur episcopi, presbyteri, & diaconi Cardinales a *cardinibus*; quia fixi, & immobiles erant in Ecclesia, h. e. proprii, atque ordinarii Ecclesiarum rectores; ut opponerentur iis, qui ad tempus Ecclesiam regebant, vel ei regendæ auxiliares erant.

Unde

Unde *cardinalis* a Gelasio opponitur *visitatori*, *can.* 4. *dist.* 24. V. *Murat. diss.* 61. *Antiq. Ital.* Leo quoque *Sacerdotum Cardinalium* meminit, h. e. parochorum *in cap.* 2. *de off. Archipresb.*: quæ Decretalis si Leoni IX. adscribatur cum A. Augustino, liquet, etiam medio Sæc. XI. parochos dici *Sacerdotes Cardinales*. *V. Gothofred. in L.* 7. *C. Th. de suscepторib.*, *&* *Lindebrongium ad Cod. LL. antiquar. v. cardinare, incardinare*. Cardinalis inde titulus proprius Romanæ Ecclesiæ evasit. Est tamen etiamnum quorumdam Canonicorum Neapolitanæ Ecclesiæ, *Mazoch. de Eccles. Neap.*

§. 256. Cardinales Romani sunt episcopi, presbyteri, & diaconi. Olim unus erat Romæ episcopus Cardinalis: neque plures esse in una eademque Ecclesia poterant episcopi. Postmodum ex septem Romam adjacentibus civitatibus, septem episcopi, Lateranensi Ecclesiæ addicti fuere: quod jam erat sub Stephano IV. Sæculo VIII., uti patet ex libro Pontificali. At Callistus II. duas Cardinalitias episcopales Ecclesias copulavit, & sex supersunt episcopi Cardinales. *V. Panvinium lib. de episcopat.*, *titul.*, *&* *Dia-*

 co-

coniis Cardinalium. Presbyteri Romani Cardinales fuerunt paroeci Urbis, qui Sæc. VI. videntur 28. fuiſſe. Diaconi Rom. Cardinales ex Diaconis, qui regebant *Diaconias*, profecti videntur. Erant Diaconiæ domus hoſpitales in ſingulis Urbis Romæ Regionibus, quæ 14. erant: unde *Diaconorum Regionariorum* appellatio: ſed labente tempore eæ exoleverunt, & ſola ſacella, quæ in iis erant, diaconiarum nomen retinuere. Diaconi Cardinales olim erant 14.: poſtea alii 4. acceſſerunt. Addidit Leo X. novam Diaconiam S. Onophrii in Vaticano, & 19. evaſerunt. At a tempore Honorii II. incertus Cardinalium numerus fuit: crevitque tempore ſchiſmatis Avenionenſis. Ampliarunt etiam numerum Leo X., Paulus III., & Paulus IV.: adeout hic ad 70. Cardinales auxerit: atque hunc numerum, utpote 70. Senioribus a Moſe in adjutorium aſſumtis, & 70. Diſcipulis reſpondentem, confirmavit Xiſtus V. in ſua Conſt., quæ incipit *Poſtquam verum*.

§. 257. Ad magnam pervenerunt Cardinales dignitatem, præſertim ob ampliſſimas, ac frequentes iis commiſſas Apoſtolicæ Sedis legationes, ob negotia gravif-

vissima in eorum Consistorio tractari solita, ac ob Pontificis electionem iis restrictam. Proinde aliarum Ecclesiarum episcopi inter Romanos Cardinales presbyteros, ac Diaconos, retenta propria Ecclesia, atque una concessa Cardinalitia episcopali Ecclesia, cooptari cœperunt, tempore Bonifacii VIII., *Barbosa Jur. Eccl. l.* 3. Ex Ecclesiasticis institutis ita aucti dignitate, potestateque Cardinales, externis quoque signis distincti sunt, & ornati rubro galero, & birretta coccinea in Syn. Lugdunensi ab Innoc. IV, anno 1244., rubro panno a Paulo II.; & *eminentiæ* titulo ab Urbano VIII.: ita ut nemo præter Cardinales, & Electores Imperii Ecclesiasticos, eum usurparet.

§. 258. Ex quo Romanæ Synodi desierunt, Cardinales ex nova disciplina Romanæ Ecclesiæ Senatum, seu *Cardinalium Consistorium* faciunt; omniaque graviora tractant negotia. Id receptum jam erat Sæculo XII. Unde ii debent episcoporum qualitatibus insigniri, *Trid. sess.* 24. *de Ref. c.* 1. Ex disciplina tamen novissima, non sunt in Consistorio judices, sed Pontificis veluti consiliarii. De pluribus Cardinalium *Congregationibus* vi-

de Espenium *p.* 1. *tit.* 22.

ROMANUS PONTIFEX.

§. 259. *Papa* a Græco πάππας *pater*, vetustissima vox est, *Tertull. de pudic.* c. 13., omnibus olim tributa episcopis; immo & inferioribus Clericis, *Walfrid. Strabo de reb. Eccl. c.* 7.; tandem uni Romano Pontifici, qui *pater Ecclesiæ*, & *episcoporum pater* nuncupatur. Id factum post tempora Gregorii VII.: nam ejus Dictatum est posterioris ætatis. *N. Alexand. in Sæc. XI. diss.* 3.; *Ant. Pag. in Critic. Baron. ad an.* 1077. *n.* 8. Cæterum jam inde a Sæc. V. Rom. Episcopus *Papa*, nullo alio addito, ex dignitate appellabatur, *Thomass. p.* 1. *L.* 1. *c.*50.

§. 260. Insuper in eodem Dictatu *can.* 3. scriptum est, *quod solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis*. Verum ne jactaretur solum inde Pontificem, non etiam episcopos, ad regendam Ecclesiam divinitus vocari, ideo eum titulum *per Chalcedonensem Synodum*, sc. per Alexandrinos Clericos in ea Synodo sibimet oblatum, S. Leo, tum alii Pontifices, uti *profanum vocabulum*, renuerunt, *S. Gregor. lib.* 4. *epist.* 16. *ad Eulog.*
Græ-

Græci autem, ipſeque Juſtinianus, *uti ex inſcript. Nov.* 3. 5. 16., *&* 42., eo titulo Cpolitanis epiſcopis adulabantur: eundemque ipſe ſibi ſumſit Johannes IV. P. Cpolitanus, cognomento *Jejunator*, cui favit Mauritius Auguſtus. Johannem carpit Gregorius M. *Lib.* 4. *ep.* 58. *V. Lupum in. d. Dict.*, *Thomaſſ. p.* 1. *L.* 1. *c.* 11., *ac N. Alex. in Sæc. VI. art.* 13. Quin Gregorius ipſe dictum reſpuit titulum; atque omnium primus ſe *ſervum ſervorum Dei* nuncupavit, *Joh. Diac. in ejus vita IV.* 58.

§. 261. Romanus Pontifex eſt Urbis Romæ epiſcopus, Provinciæ Romanæ Metropolitanus, Patriarcha Occidentis; & ſimul Summus Eccleſiæ Paſtor, ac Præſes: itaut non ſolum dignior ſit epiſcopis, Metropolitanis, ac Patriarchis, ſed & divino jure in eoſdem poteſtatem habeat. Hic tantum de primatus prærogativa, ac juribus pertractandum. Et quidem Conc. Florentino definitum eſt, Romanum Pontificem *in univerſum orbem tenere primatum*, *&* *ſucceſſorem eſſe B. Petri*, *&* *verum Chriſti Vicarium*, *totiuſque Eccleſiæ caput*, *&* *omnium Chriſtianorum patrem*, *ac Doctorem*, *&* *ipſi in B. Petro paſcendi*, *regendi*, *&* *gubernan-*

di universalem Ecclesiam a Christo plenam potestatem traditam esse.

§. 262. Nimirum Christus præ aliis Apostolis Petro, cui Rom. Pontifex successit, primatum dedit. Unitatis siquidem centrum in uno Petro constabilivit, per quem Ecclesia, æternum duratura, una monstretur. Unitatis vero principium sine primatu esse non potest. Patet id tam ex sacræ Scripturæ, quam ex auctoritate Patrum. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claves Regni Cœlorum*, ait Servator noster *Matth. XVII. v.* 18. *&* 19. Ac Petro Christus agnorum, & ovium curam commisit, *Johann. XXI. v.* 15., *& seq.*, h. e. & fidelium, & pastorum; quemadmodum Patres eum locum interpretantur. Non sum nescius; quosdam Patres *Petram* non pro Petro accepisse, sed pro Christo, seu pro fide divinitatis Christi, quam modo Petrus fassus erat: unde non ad rem facere hunc locum, putant præ aliis Launojus *ep. ad Voellum*, *p.* 5. *epistolar.*, & Dupinus *de ant. Ecc. disc. diss.* 4. *c.* 1. Verum *Petram* pro Petro accipi debere, probant Card. Orsius *de Rom. Pontif. potest*, & Ballerinius *de vi*, *& potestate primatus*. Dicta Patrum

trum de hoc primatu longum esset referre. Vide *N. Alex. in Sæc. 1. diss.* 4. § *De Marca diss. de singul. Petri primat.* *Juvenin. de sacram. diss. 9. c. 8. art.* 1.

§. 263. At nonne Apostoli omnes inter se æquales fuerunt; eademque sacerdotii plenitudine, clavium potestate ab ipso Christo donati, *Jo. XX.* 21. *Matth.* *XVIII.* 18. *Ad ephes. II. v.* 20? Ita vero. Æqualis tamen potestas erat Apostolatus ratione, excepta primatus prærogativa a Christo uni Petro delata. Porro in Apostolis ratio Apostolatus, potestas scilicet ubique prædicandi, & Ecclesias fundandi, fuit personalis: cum iis quippe, utpote non amplius necessaria, desiit. Ratio autem Episcopatus, potestas scilicet divinitus regendi Ecclesiam, transiit in successores, h. e. episcopos. Petri tamen potestas fuit realis, de qua mox.

§. 264. Primatus igitur in Ecclesiæ unitate tuenda, & conservanda unice consistit, *ut capite constituto, schismatis tollatur occasio*, Hieronym. *adv. Jovinian.* *I*, 14. Ac non personalis Petri fuit, sed realis, & perpetuus, quia ob Ecclesiæ perpetuum duraturæ unitatem institutus. Proinde ipsa divina institutione Petri successores primatum perpetuo habent. Verum successores-

cessionis ratio, sc. quis, mortuo Petro, esset in Primatu successurus, humani juris est, & in libera positum Petri ipsius electione; qui suamet voluntate, necnon divino etiam istinctu, e multis, quas instituit, Ecclesiis, Romanam a se fundatam, & ad mortem gubernatam, elegit, ut sibi in Episcopatu, & in Primatu succederet. Ita constantissime Patres omnes docent: ibique esse centrum Christianæ Religionis, e ratione Ecclesiæ visum est; ubi altiores egerat radices superstitio. Petrum sane & Romæ episcopum fuisse, & martyrem ibi occubuisse, Theologi jam ex Ecclesiasticis monumentis satis demonstrarunt. Romanæ Sedi igitur Apostolico jure Primatus addictus est. Sed quoniam ea tantam prærogativam jam adepta est, divini juris est, Rom. Pontificem ex Petri successione Primatum in universam Ecclesiam habere.

§. 265. Ex his *ad Romanam Ecclesiam*, verba sunt Irenæi *adv. hæres III. 3.*, *propter potiorem principalitatem* (quod perperam de Urbe Imperatoriæ sedis, non de Ecclesia Urbis accipiunt hæretici), *necesse est omnem convenire Ecclesiam*, *hoc est omnes, qui sunt undique fideles*:

Om-

Omnes nimirum Ecclesiæ adstringuntur ad communionem cum Romana, unitatis centro, colendam, & in fide, moribusque cum ea conveniendum; non secus ac membra cum capite, & cum superiore inferiores uniuntur. Idipsum Cyprianus *lib. de unit. Eccl.*, & Patres omnes. *V. De Marca I.* 11., *&* *V.* 15.

§. 266. Ex primatu hæc præcipua jura; fidei canonumque observantiam tueri, eorumque temeratores coërcere. Ita Ecclesia una servatur (Id ad omnes pertinet episcopos, sed potiori jure Romano Pontifici): ob eundem unitatis Ecclesiæ finem, decreta pro universa certe Ecclesia de fide, moribus, ac disciplina; omnibusque episcopis de rebus dubiis consulentibus respondere: canones de rebus ἀδιαφόροις relaxare, seu dispensare; sed ex Ecclesiæ utilitate, necessitateque, unde ipsimet canones editi sunt, *De Marca III.* 14., *&* *seq.*: appellationes de rebus Ecclesiasticis ab omnibus provinciis recipere: œcumenica Concilia celebrare, & indicere; adeo quidem, ut qui episcopi sine justa causa non adfuerint, Ecclesiastica communione a Rom. Pontifice, uti Ecclesiæ desertores, privari possint. Porro

ex

ex nova Decretalium disciplina quamplurima jura Romanæ Sedi accesserunt, quæ partim etiam Patriarcharum, Metropolitarum, episcoporum antiquitus fuerunt; quæque passim nobis exponenda occurrunt.

CAP. VIII.

DE MONACHIS.

§.267. HOc loco, ut personarum Ecclesiasticarum tractationem tandem absolvam, de monachis agere constitui. Sane ii inter clericos nunc recensentur; licet diu laici fuerint. Dicti ita sunt, quasi *solitarii*. Monachi enim generatim olim appellabantur, qui a frequentia civitatum separati, vel soli, vel in commune, & sub præposito, vitam asceticam, & pœnitentem vivebant, *Thomass. p.* 1. *L.* 3. c. 2. Distinguendi tamen sunt ab ascetis, & eremitis. Ascetæ olim etiam apud Gentiles Philosophos erant, qui vitam duriorem vivebant: *ascesis* enim exercitationem denotat virtutum, & abstinentiæ. *V. Jo. Franc. Buddeum diss. de* ἀσκήσει *philosophica*, Christiani vero,

vero, qui ad veræ perfectionem virtutis properantes, non solum intra justitiæ fines se continebant, sed durius vitæ genus ducebant; *ascetæ* quoque, *philosophi*, & *gnostici* appellabantur. *Salmas. ad Tertull. de pallio*. Varia ascetarum exercitia fuere. *Byngh. Orig. VII.* 1., & *Meierus de asceris*. Inter eos eminebant sacræ virgines, & viduæ, quæ perpetuam castitatem in Ecclesia publice profitebantur; & consecrabantur ab episcopo, sacrum velamen accipientes; quæ quia Ecclesiæ canoni inserebantur, *Socrat. I.* 7., *canonicæ* dictæ sunt. Vivebant etiam in paternis domibus; sed si minus caste, excommunicabantur; & nonnisi publice pœnitentes in communionem Ecclesiæ redibant, *Conc. Ancyr. can.* 19. *Conc. Chalc. can.* 16. Ascesin quoque apud Gentes, præsertim Pythagorei, *Des Landes Histoire critique de la Philosophie*, *Liv. III. chap.* 24.; & apud Judæos *Esseni*, & *therapeutæ*, de quibus *Jo. Cleric. proleg. Hist. Eccl. sect.* 1. *c.* 4., ut virtuti accuratius vacarent, in solitudine, vel in communione, excoluere.

§. 268. Hi erant ascetæ. Eremitæ vero erant, qui statim in solitudinem cu-

secedebant. Ac nonnisi medio III. Sæculo ob Decianam persequutionem Christianorum plerique ex Ægypto in Thebaidem, aliasque secesserunt solitudines; ibique, etiam in pacatis Ecclesiæ rebus, perennare maluerunt, quo melius perfectæ virtutis apicem consequerentur. *Bingh. Orig. VII.* 1. §. 4. Solitariæ vitæ *auctor Paulus*, *illustrator Antonius*, ait Hier. *ep.* 22. *ad Eustoch. c.* 14. Ab eremitis autem in eo differebant olim anachoretæ, quod illi statim a sæculo in solitudinem migrabant; hi vero proprie erant, qui post diutinam in monasterio exercitationem, majoris perfectionis studio, cum Abbatis venia, in eremum secedebant: ita dicti ab *ἀναχωρέω* *secedo*: & *monachi* etiam, seu *solitarii*, strictius appellati.

§. 269. Cœnobia vero, & vita communis monachorum nonnisi a Pachomio Constantini M. ætate, in Thebaide instituta fuere. *V. Papebroch.* Ex Ægypto per Orientem vita monastica propagata fuit, præsertim ab Hilarione Antonii discipulo, *Hieron. in Esaiæ c.* 19. *&* *in vita Hilarion.*, & a Basilio. *V. Bivarium de veteri monachatu.*

§. 270.

§. 270. In Occidentem monasticum institutum ab Oriente perrepsit. Roma monachos suscepit ab Athanasio Alexandrino, qui profugus cum suis monachis ob vitam Antonii a se conscriptam, plurimorum animos ad ejus imitationem inflammavit. Tum Urbis exemplo aliæ Civitates Occidentis monachos receperunt. *Hier. ep. 16. ad Princip., & de laudib. Asellæ.* Vita autem monastica maximum habuit incrementum a S. Benedicto, qui anno circiter 530. Casinense monasterium construxit, sollemnisque professionis formam præscripsit. Ad perpetuam regulæ observantiam monachi tunc primum adacti fuere. *Mabill. præfat. ad* 1. *part. Sæc.IV. Benedict.*

§. 271. Monastica disciplina cœpit sensim pluribus ex causis collabescere, *Espen. p.* 1. *tit.* 32. *c.* 1. Unde post IX. Sæculum variis restituta est reformationibus per illustres viros, qui vel Benedictinam regulam recentarunt, vel excogitarunt novas. Quare X. Sæc., & sequentibus orti sunt Cluniacenses, Camaldulenses, Grandimontenses, Carthusiani, & Cistercienses; ac præterea ordinum, & vestium diversitas in Occidente tantum

in-

induci cœpit. *Espen. p.* 1. *tit.* 24. *c.* 2.
Et primum Cluniacenses, tum alii modo dicti, tandem Mendicantes in multos ordines abierunt, moribus, institutis, ac vestibus inter se se distinctos: adeo quidem, ut caverit Innoc. III. in Syn. Lateranensi, ut novæ regulæ non statuerentur, *cap.* 9. *X. de domib. relig.* Ideoque ad novum ordinem statuendum, Pontificis confirmatione opus esse cœpit.

§. 272. Post XI. Sæculum novam formam vita monastica in plerisque novis ordinibus induit; unde vel Clerici vitam monasticam amplecti, vel Regulares aliorum salutem curare, fidemque armis propagare, at tueri cœperunt. Novi hi ordines dividi solent in Clericales, Militares, Mendicantes, & Pios Operarios. Clerici Religiosi sunt Canonici regulares, de quibus supra (§. 226.). Ii ex variis reformationibus in varias abierunt familias.

§. 273. Milites Religiosi tribus votis, uti & cæteri Regulares, adstricti, armis fidem contra infideles propugnare profitentur. Initio tres eorum ordines fuere, instituti tempore sacrarum expeditionum in terram sanctam, sc. Templarii, Hospi-

ſpitalarii, & Teutonici; qui a Pontificibus probati, ſub regula S.Auguſtini, uti Canonici Regulares, vixerunt. At anno 1291. e Palæſtina novas ſedes quærere coacti fuere. Templarii per omnem Europam latifundiis, ac bonis aucti, in Syn. Viennenſi deleti ſunt. Hoſpitalarii Cyprum, indeque Rhodum conceſſerunt: tandem anno 1430. Melitam acceperunt inſulam. Extenditur autem hic Ordo per univerſam Europam. Teutonici Germanos nobiles ſolummodo admittunt. Deinceps horum exemplo alii Ordines Militares inſtituti ſunt.

§. 274. Mendicantes primi, & celebriores ſunt *Fratres minores*, quorum inſtitutor fuit S. Franciſus Aſſiſienſis anno 1208.; *Prædicatores*, quos eodem ferme tempore inſtituit ſub regula S. Auguſtini S. Dominicus nobilis Hiſpanus; *Auguſtiniani*, cum Alexander IV. varios Eremitarum coetus in unam coëgit ſocietatem ſub regula S. Auguſtini; & *Carmelitæ*, qui fuerunt Eremitæ a Bertoldo Calabro in monte Carmelo Sæculo XII. exeunte collecti; quibus Albertus Patriarcha Hieroſolymitanus regulam dedit, cum Baſiliana ferme convenientem;

quam inde probavit Honorius III. *V. N. Alex. Sæc. XIII. c.* 7. *art.* 5. Postmodum in Occidentem, ob Saracenorum incursiones, migrarunt; & ab Innocentio IV. inter Religiosos Ordines relati fuere. Plures alii exinde Mendicantes accesserunt, veluti *Minimi S. Francisci de Paula*, aliique. At lapsæ Mendicantium disciplinæ reparatores extitere: unde exorti novi Ordines, quales Minores observantes, Capucini, Discalceati Augustiniani, Discalceati Carmelitæ. Tum possessio temporalium in commune, a Sede Apostolica, & a Trident. *seff.* 25. *de Regular. c.* 3., concessa fuit Mendicantibus, exceptis Capucinis, & Minoribus de observantia.

§. 275. Tandem Pii operarii nec milites origine sua, nec mendicantes sunt, sed aliquod pium opus votis monasticis addunt. Ita sunt Religiosi ordinis SS. Trinitatis *de redemtione captivorum*, a Joanne de Matha, & Felice anachoreta Valesiensi; & Religiosi S. Mariæ de Mercede a Petro Nolasco ad idem opus redemtionis captivorum instituti.

§. 276. Monachi suæ tantum saluti student. Nam, ut ait Hier. *Inst. Monach.*

ad

ad Paullin., *non docentis*, *sed plangentis habent officium*. Ii a laicis olim una perfectiori vita differebant: atque a solitudine dominicis diebus ad paroeciales Ecclesias ab Abbate ducebantur, *Theodoret. in vit. patr. c.* 12. *Morin. de poenit. II.* 17. Postmodum quædam Orientis Monasteria sæcularem presbyterum habuere, ad titulum Monasterii ordinatum, *Conc. Chalced. can. 6. & 8.* Tum ex Ecclesiæ, & Monasterii utilitate cœperunt Monachi in Clerum adsciscì, & cooptari; quod probavit Arcadius Imp. *L.* 32. *C. Th. de episcop.*; *& Justin. Nov.* 133. *c.* 2. *V. Bona l.* 18. *& Mabill. præf.* 1. *in par.* 1. *sæc.* 4. *Benedict.* Tandem Clemens V. anno 1311. constituit, ut *Monachi quilibet ad monitionem Abbatis* sacros ordines susciperent, *Clement.* 1. *de stat. Monach.* Qui vero ex monachis latine sciebant, chorum retinuerunt, *Fleuryus disc.* 8. *in hist. Eccl.* Tum simplici sacerdotio Abbates monasteriorum haud contenti, pontificalem dignitatem obtinuerunt; & *ordinarii locorum* evaserunt, uti supra, cum egimus de prælatis inferioribus (§.229., *& seq.*). Circa Sec. X. Monachi Christianis sacra mini-

strare quoque cœperunt; cum antea Clerici sacro Monachorum regimini addicti fuissent. Mendicantibus præsertim plurima privilegia concessere Gregorius IX., Sixtus IV., & Leo X. Tum episcopi, & parochi jura sua vindicarunt. Denique Tridentinum Regularibus prohibuit Christianorum confessiones excipere, ac prædicare sine episcopi licentia, *sess.* 33. *de Ref. cap.* 15. *&* *sess.* 24. *cap.* 2.

§. 277. Ad Sæc. usque XI. spirituali episcoporum potestati monachi, perinde ac laici, subjecti fuere, *Conc. Chalced. can.* 4. *&* 8. *Nicæn. II. can.* 12. *&* 17. *Arcadius L.* 11. *C. de episc. & Cler.*, *Justin. Nov.* 47., *&* 123. *c.* 21. *Carolus M. Capitul. Lib.* 5. A Sæc. VI. quidem varia privilegia, exemtiones, ac immunitates monachis concessæ fuere; non tamen ab episcoporum jurisdictione, *Espen. p.* 3. *tit.* 12. *cap.* 2. *Thomass. Disc. p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 26. *& sequ.* At XI. Sæc. ab episcopis ii primum eximi cœperunt, & Rom. Pontifici immediate subesse: unde Bernardi querelæ, *epist.* 32. *ad Henric. Senonens.*, & episcoporum in Conc. Lateranensi sub Innoc. III. *can.* 3. At de exemtis cohibendis in Syn. Tridentina plu-

plurimis Decretis actum fuit, *seff.* 23. & 25. *de Ref.*; *seff.* 25. *de Regularib.* c. 9. & 12. *V. Ben.* XIV. *de Syn. Diœcef.* IX. 15., & *Chokier. de jurisd. Ord. in exemtos*.

§.278. Ad monachi vero statum adsequendum novitiatu, & professione opus est. Nisi novitiatus, seu exploratio præcedat, inutilis est professio, *cap.* 8. X *de regularib.* & *Trid. seff.* 25. *de regular. cap.* 15. In Oriente hoc tirocinium triennio concludebatur, *Nov.* 5. In Occidente anno, ex regula Benedictina *cap.* 58. *Trid. d. loc.* Tum professio *expressa* sollemnibus verbis, usque ab S. Benedicti instituto deducenda est: *tacita* ex factis ipsis arguitur; uti si quis per anni cursum habitum monasticum gerat, *c.* 22. X *eod.* Hanc vero sustulit Tridentinum: unde sollemni tantum professione monachi fiunt. Præter professionem autem monachi fiebant olim ex paterna devotione, *Conc. Tolet. IV. can.* 48.; cum filii, etiam infantes, monasteriis offerebantur: quem morem abrogavit Cæleftinus III. *cap.* 14. X *eod.*; ac vitam monasticam illis derelinquere permisit, cum *ad annos discretionis* pervenerint, & *Trid. d. loc. cap.* 15.

§. 279. Ante probationem, vel ea nondum impleta, mos fuit, de rebus temporalibus disponere: unde tirones postea ad edendam professionem, ne nondum professi pauperes tamen viverent, cogebantur. Statuerunt proinde Tridentini Patres *sess.* 25. *de Regular. c.* 16., obligationem, aut renuntiationem (quod ad irrevocabiles dispositiones limitatum est) ante professionem factam non valere, nisi intra duos menses proximos ante professionem cum episcopi, vel ejus vicarii licentia fiat; ac jure factam tantum post professionem suum effectum sortiri.

§. 280. Ut professio rite recteque procedat, præter consensum, *Trident. sess.* 25. *de Regul. c.* 18., justa ætas requiritur profitentis. Basilius pubertatem apud Græcos constituit professionis tempus, *in Regula c.* 7. Chrysostomus decem annos, *adv. vituper. vitæ mon. III.* 15. Apud Latinos annum 25. Pseudo-Synodus Rom. sub Silvestro I., quæ Sæc. VI. ficta fuit, *Ben. XIV. de Syn. D. VII.* 34.; pubertatem S. Ambrosius *lib. de virginib.*, & Alex. III. *cap.* 8. *X de regularib.* At Trident. *sess.* 25. *de Regular. c.* 15. annum 16. præstituit: quo tamen decreto mi-

minime derogatur Constitutionibus Ordinum, quæ ulteriorem exposcunt ætatem, *Fagnan. ad cap. nullus X eod.*

§. 281. Servi olim, ac filiifam., invitis parentibus, ac dominis, in monachos attonderi minime poterant, *Conc. Chalc. can. 5. Conc. Gangr. can. 16.* Aliud Justinianus statuit *Nov. 5. c. 2.*, & *L. 55. C. de episc.* Conjux, etiam altero invito, potest monasticam vitam profiteri, nondum in usum deductis nuptiis, *cap. 2. & 7. X de convers. conjugat.* At post carnis commixtionem id facere non potest, *can. 6. c. 33. qu. 5.*; nisi ex compacto agant, & alter votum emittat castitatis. Tandem milites, nisi emeritis stipendiis, monachi fieri non poterant (ex Mauritii Imp. Const.; quæ tamen moderata prodiit, instante apud Imp. Gregorio M. *Lib. 2. ep. 62.*); neque ii, qui publicis adstricti essent rationibus, nisi forent per divales litteras absoluti.

§. 282. De uno ad alium Ordinem transire monachis prohibetur: a laxiore autem ad rigidiorem abire eos posse, invaluit; non contra, nisi ex Pontificis venia, *cap. 18. X de Regular. Trid. sess.*

 25.

secedebant. Ac nonnisi medio III. Sæculo ob Decianam persequutionem Christianorum plerique ex Ægypto in Thebaidem, aliasque secesserunt solitudines; ibique, etiam in pacatis Ecclesiæ rebus, perennare maluerunt, quo melius perfectæ virtutis apicem consequerentur. *Bingh. Orig. VII.* 1. §. 4. Solitariæ vitæ *auctor Paulus*, *illustrator Antonius*, ait Hier. *ep.* 22. *ad Eustoch.* c. 14. Ab eremitis autem in eo differebant olim anachoretæ, quod illi statim a sæculo in solitudinem migrabant; hi vero proprie erant, qui post diutinam in monasterio exercitationem, majoris perfectionis studio, cum Abbatis venia, in eremum secedebant: ita dicti ab ἀναχωρέω *secedo*: & *monachi* etiam, seu *solitarii*, strictius appellati.

§. 269. Cœnobia vero, & vita communis monachorum nonnisi a Pachomio Constantini M. ætate, in Thebaide instituta fuere. *V. Papebroch.* Ex Ægypto per Orientem vita monastica propagata fuit, præsertim ab Hilarione Antonii discipulo, *Hieron. in Esaiæ c.* 19. *& in vita Hilarion.*, & a Basilio. *V. Bivarium de veteri monachatu*.

§. 270.

§. 270. In Occidentem monasticum institutum ab Oriente perrepsit. Roma monachos suscepit ab Athanasio Alexandrino, qui profugus cum suis monachis ob vitam Antonii a se conscriptam, plurimorum animos ad ejus imitationem inflammavit. Tum Urbis exemplo aliæ Civitates Occidentis monachos receperunt. *Hier. ep. 16. ad Princip., & de laudib. Asellæ.* Vita autem monastica maximum habuit incrementum a S. Benedicto, qui anno circiter 530. Casinense monasterium construxit, sollemnisque professionis formam præscripsit. Ad perpetuam regulæ observantiam monachi tunc primum adacti fuere. *Mabill. præfat. ad* 1. *part. Sæc. IV. Benedict.*

§. 271. Monastica disciplina cœpit sensim pluribus ex causis collabescere, *Espen. p.* 1. *tit.* 32. *c.* 1. Unde post IX. Sæculum variis restituta est reformationibus per illustres viros, qui vel Benedictinam regulam recensarunt, vel excogitarunt novas. Quare X. Sæc., & sequentibus orti sunt Cluniacenses, Camaldulenses, Grandimontenses, Carthusiani, & Cistercienses; ac præterea ordinum, & vestium diversitas in Occidente tantum in-

induci cœpit. *Espen. p.* 1. *tit.* 24. *c.* 2. Et primum Cluniacenses, tum alii modo dicti, tandem Mendicantes in multos ordines abierunt, moribus, institutis, ac vestibus inter se se distinctos: adeo quidem, ut caverit Innoc. III. in Syn. Lateranensi, ut novæ regulæ non statuerentur, *cap.* 9. *X. de domib. relig.* Ideoque ad novum ordinem statuendum, Pontificis confirmatione opus esse cœpit.

§. 272. Post XI. Sæculum novam formam vitæ monastica in plerisque novis ordinibus induit; unde vel Clerici vitam monasticam amplecti, vel Regulares aliorum salutem curare, fidemque armis propagare, at tueri cœperunt. Novi hi ordines dividi solent in Clericales, Militares, Mendicantes, & Pios Operarios. Clerici Religiosi sunt Canonici regulares, de quibus supra (§. 226.). Ii ex variis reformationibus in varias abierunt familias.

§. 273. Milites Religiosi tribus votis, uti & cæteri Regulares, adstricti, armis fidem contra infideles propugnare profitentur. Initio tres eorum ordines fuere, instituti tempore sacrarum expeditionum in terram sanctam, sc. Templarii, Hospi-

spitalarii, & Teutonici; qui a Pontificibus probati, sub regula S. Augustini, uti Canonici Regulares, vixerunt. At anno 1291. e Palæstina novas sedes quærere coacti fuere. Templarii per omnem Europam latifundiis, ac bonis aucti, in Syn. Viennensi deleti sunt. Hospitalarii Cyprum, indeque Rhodum concesserunt: tandem anno 1430. Melitam acceperunt insulam. Extenditur autem hic Ordo per universam Europam. Teutonici Germanos nobiles solummodo admittunt. Deinceps horum exemplo alii Ordines Militares instituti sunt.

§. 274. Mendicantes primi, & celebriores sunt *Fratres minores*, quorum institutor fuit S. Franciscus Assisiensis anno 1208.; *Prædicatores*, quos eodem ferme tempore instituit sub regula S. Augustini S. Dominicus nobilis Hispanus; *Augustiniani*, cum Alexander IV. varios Eremitarum coetus in unam coëgit societatem sub regula S. Augustini; & *Carmelitæ*, qui fuerunt Eremitæ a Bertoldo Calabro in monte Carmelo Sæculo XII. exeunte collecti; quibus Albertus Patriarcha Hierosolymitanus regulam dedit, cum Basiliana ferme convenientem;

quam inde probavit Honorius III. *V. N. Alex. Sæc. XIII. c. 7. art.* 5. Postmodum in Occidentem, ob Saracenorum incursiones, migrarunt; & ab Innocentio IV. inter Religiosos Ordines relati fuere. Plures alii exinde Mendicantes accesserunt, veluti *Minimi S. Francisci de Paula*, aliique. At lapsæ Mendicantium disciplinæ reparatores extitere: unde exorti novi Ordines, quales Minores observantes, Capucini, Discalceati Augustiniani, Discalceati Carmelitæ. Tum possessio temporalium in commune, a Sede Apostolica, & a Trident. *sess.* 25. *de Regular. c.* 3., concessa fuit Mendicantibus, exceptis Capucinis, & Minoribus de observantia.

§. 275. Tandem Pii operarii nec milites origine sua, nec mendicantes sunt, sed aliquod pium opus votis monasticis addunt. Ita sunt Religiosi ordinis SS. Trinitatis *de redemtione captivorum*, a Ioanne de Matha, & Felice anachoreta Valesiensi; & Religiosi S. Mariæ de Mercede a Petro Nolasco ad idem opus redemtionis captivorum instituti.

§. 276. Monachi suæ tantum saluti student. Nam, ut ait Hier. *Inst. Monach.*

ad

ad Paullin., *non docentis*, *sed plangentis habent officium*. Ii a laicis olim una perfectiori vita differebant: atque a solitudine dominicis diebus ad paroeciales Ecclesias ab Abbate ducebantur, *Theodoret. in vit. patr. c.* 12. *Morin. de poenit. II.* 17. Postmodum quædam Orientis Monasteria sæcularem presbyterum habuere, ad titulum Monasterii ordinatum, *Conc. Chalced. can. 6. & 8.* Tum ex Ecclesiæ, & Monasterii utilitate cœperunt Monachi in Clerum adscisci, & cooptari; quod probavit Arcadius Imp. *L.* 32. *C. Th. de episcop.*; *& Justin. Nov.* 133. *c.* 2. *V. Bona I.* 18. *& Mabill. præf.* 1. *in par.* 1. *sæc.* 4. *Benedict.* Tandem Clemens V. anno 1311. constituit, ut *Monachi quilibet ad monitionem Abbatis* sacros ordines susciperent, *Clement.* 1. *de stat. Monach.* Qui vero ex monachis latine sciebant, chorum retinuerunt, *Fleuryus disc.* 8. *in hist. Eccl.* Tum simplici sacerdotio Abbates monasteriorum haud contenti, pontificalem dignitatem obtinuerunt; & *ordinarii locorum* evaserunt, uti supra, cum egimus de prælatis inferioribus (§.229., *& seq.*). Circa Sec. X. Monachi Christianis sacra mini-

strare quoque cœperunt; cum antea Clerici sacro Monachorum regimini addicti fuissent. Mendicantibus præsertim plurima privilegia concessere Gregorius IX., Sixtus IV., & Leo X. Tum episcopi, & parochi jura sua vindicarunt. Denique Tridentinum Regularibus prohibuit Christianorum confessiones excipere, ac prædicare sine episcopi licentia, *sess.* 33. *de Ref. cap.* 15. *&* *sess.* 24. *cap.* 2.

§. 277. Ad Sæc. usque XI. spirituali episcoporum potestati monachi, perinde ac laici, subjecti fuere, *Conc. Chalced. can.* 4. *&* 8. *Nicæn. II. can.* 12. *&* 17. *Arcadius L.* 11. *C. de episc. & Cler.*, *Justin. Nov.* 47., *&* 123. *c.* 21. *Carolus M. Capitul. Lib.* 5. A Sæc. VI. quidem varia privilegia, exemtiones, ac immunitates monachis concessæ fuere; non tamen ab episcoporum jurisdictione, *Espen. p.* 3. *tit.* 12. *cap.* 2. *Thomass. Disc. p.* 1. *lib.* 3. *cap.* 26. *& sequ.* At XI. Sæc. ab episcopis ii primum eximi cœperunt, & Rom. Pontifici immediate subesse: unde Bernardi querelæ, *epist.* 32. *ad Henric. Senonens.*, & episcoporum in Conc. Lateranensi sub Innoc. III. *can.* 3. At de exemtis cohibendis in Syn. Tridentina plu-

plurimis Decretis actum fuit, *seff.* 23. *&* 25. *de Ref.*; *seff.* 25. *de Regularib. c.* 9. *&* 12. *V. Ben. XIV. de Syn. Diœcef. IX.* 15., *&* *Chokier. de jurisd. Ord. in exemtos.*

§. 278. Ad monachi vero statum adsequendum novitiatu, & professione opus est. Nisi novitiatus, seu exploratio præcedat, inutilis est professio, *cap.* 8. *X de regularib. & Trid. seff.* 25. *de regular. cap.* 15. In Oriente hoc tirocinium triennio concludebatur, *Nov.* 5. In Occidente anno, ex regula Benedictina *cap.* 58. *Trid. d. loc.* Tum professio *expressa* sollemnibus verbis, usque ab S. Benedicti instituto deducenda est: *tacita* ex factis ipsis arguitur; uti si quis per anni cursum habitum monasticum gerat, *c.* 22. *X eod.* Hanc vero sustulit Tridentinum: unde sollemni tantum professione monachi fiunt. Præter professionem autem monachi fiebant olim ex paterna devotione, *Conc. Tolet. IV. can.* 48.; cum filii, etiam infantes, monasteriis offerebantur: quem morem abrogavit Cælestinus III. *cap.* 14. *X eod.*; ac vitam monasticam illis derelinquere permisit, cum *ad annos discretionis* pervenerint, *& Trid. d. loc. cap.* 15.

minime derogatur Constitutionibus Ordinum, quæ ulteriorem exposcunt ætatem, *Fagnan. ad cap. nullus X eod.*

§. 281. Servi olim, ac filiifam., invitis parentibus, ac dominis, in monachos attonderi minime poterant, *Conc. Chalc. can.* 5. *Conc. Gangr. can.* 16. Aliud Justinianus statuit *Nov.* 5. *c.* 2., & *L.* 55. *C. de episc.* Conjux, etiam altero invito, potest monasticam vitam profiteri, nondum in usum deductis nuptiis, *cap.* 2. & 7. *X de convers. conjugat.* At post carnis conmixtionem id facere non potest, *can.* 6. *c.* 33. *qu.* 5.; nisi ex compacto agant, & alter votum emittat castitatis. Tandem milites, nisi emeritis stipendiis, monachi fieri non poterant (ex Mauritii Imp. Const.; quæ tamen moderata prodiit, instante apud Imp. Gregorio M. *Lib.* 2. *ep.* 62.); neque ii, qui publicis adstricti essent rationibus, nisi forent per divales litteras absoluti.

§. 282. De uno ad alium Ordinem transire monachis prohibetur: a laxiore autem ad rigidiorem abire eos posse, invaluit; non contra, nisi ex Pontificis venia, *cap.* 18. *X de Regular. Trid. sess.*
 25.

25. *de Regular. cap.* 9. Mendicantes autem, ne rigidioris regulæ prætextu ad dignitates, ac monastica devenire velint beneficia, ad alios non Mendicantium ordines, præter Chartusianos, abire, sine Pontificis venia, non possunt, *Extrav.* 1. *de Regular. in Comm.* Qui vero vota monastica violant, ad Sæculum redeuntes, *apostatæ*, ac *transfugæ* dictitantur. Ii excomunicabantur olim, *Conc. Chalc.can.* 7.; atque Curiæ, seu civitatis collegio addicebantur, *L.* 39. *C. Th. de episc.* Ex Justiniano autem monasterio restituuntur, *Nov.* 132. *c.* 42.: uti & ex nova disciplina anathemate compulsi, ad pœnitentiam monasterio includuntur, *cap. ult.* X *de Regular. Espen. p.* 1. *tit.* 27. *cap.* 7. *De Luca disc.* 41. *de Regular.*

§. 283. Pauca tandem de monialibus dicenda sunt. Hæ a sacris virginibus distinguebantur. De his supra (§.267.). Monasticam sane in cœnobiis vitam Sæc. IV. non solum viri, sed & mulieres arripuerunt. Sanctimonialium auctor fuisse perhibetur Syncletica, Alexandrina virgo, S. Antonio coæva. *V. Coteler. Monum. Eccles. Græc. tom.* 1., & *N. Alex. in sæc.* 4. *c.* 6. *art.* 8.: earumque re-

regulas collegit Holstenius *in codic. Regular. p.* 3. Clausuræ legem & extranei, & moniales servare debent, *Jo. Bapt. Thiers tract. de clausura religios.*: quod episcopi curæ committitur, *Trident. sess.* 25. *de Regular. c.* 5.; ubi legitima egressus causa generatim ponitur: sed explicatur a Pio V. *Const. decori, & honestati* 8. *tom.* 2. *Bullar.*, atque ad tria redigitur capita; *magnum incendium, infirmitatem lepræ, aut epidemiæ. V. Ben. XIV. de syn. diœces. IX.* 9. & 16.; & *XIII.* 12.

§. 284. Abbatissæ, sicuti & Abbates (quæ Hebraica vox *patres* designat), olim perpetuæ fuerunt. Deinde inductis Abbatibus ad tempus, & Abbatissæ ita constitutæ sunt; ac præsertim in nostro Regno ad triennium, *Gregor. XIII. Const. exposcit*. In Abbatissa eligenda consensum duarum partium capituli requirit Bonifacius VIII. *cap.* 43. *de elect. in VI.*: episcopum autem electioni præesse, nec Abbatissam minorem esse annis 40., modo talis adfuerit, aliter 30., Tridentinum statuit *sess.* 25. *de Regular. c.* 7.

CAP.

CAP. IX.

De irregularitatibus.

§. 285. Ea, quæ generatim ad Clericos pertinent, tandem videamus: ac primum omnium irregularitates. Usque ab Ecclesiæ incunabulis ordinandorum qualitates, ac virtutes a Canonibus statutæ sunt: quæ si in aliquo deerant, is *a canone alienus* olim audiebat, *Conc. Nicæn. can.* 9., tum barbaro vocabulo *irregularis*. Quare personalia impedimenta canonica, unde quis ordinari, aut in ordine ministrare prohibetur, nomine *irregularitatis* comprehenduntur: suntque vel animi, vel corporis, vel externæ conditionis.

§. 286. Quoad animi vitia, irregulares sunt *inscii litterarum*, *Conc. Tolet. can.* 19. Tum qui crimen aliquod patrarunt; puritas enim in Clericis requiritur. Crimina olim intelligebantur quæcumque gravia delicta, tam civilia, quam Ecclesiastica, publica pœnitentia coërcenda, sive palam, sive clam admissa: quorum qui sibi ipse conscius erat, sponte se a sacer-

dotio

dotio abstinere debebat. Et poenitentia publice peracta non tollebat irregularitatem, *Siric.ep.*1. Licet enim crimina abstergebat, notam tamen quamdam relinquere videbatur. Immo ex aliorum vitiis quidam irregulares erant: uti laici, & Clerici, qui non reliquissent uxores adulterii convictas, *Conc. Neocesar. can.* 8., ac mariti viduæ, meretricis, ancillæ, & scenicæ, *can. Apost.* 18. Crimina autem, ut irregularitas sit, post baptismum patrata intelliguntur: tum si macula quædam baptismo insit. Irregulares propterea erant *clinici*, h. e. in lecto baptizati, *Conc. Neocesar. can.* 12.: & hodie etiam fideles, quorum pater, vel avus hæretici fuere: Ac *neophyti*, seu nuper intra annum baptizati, 1. *ad Timoth. III.* 3., a majoribus saltem ordinibus excluduntur, *Conc. Nicæn. can.* 2., & *Sardic. can.* 10.

§. 287. Postmodum irregularitas apud Latinos fuit ex criminibus tantum publicis, non item, ut antea, occultis. Nam in Mercatoris epistolis, Canonibus adversis, habetur, lapsos post poenitentiam ordinibus suis esse restituendos, *can.* 14. 16. 18. *dist.* 50. Canones autem ad publica crimina, decretales ad occulta, retu-

lit post alios Gratianus *in fine can.* 23, *dist.* 50. *V. Espen. p.* 2. *tit.* 10. *c.* 6. Verum etiam hodie ex Tridentino *Sess.* 14. *de ref. c.* 7. homicidæ occulti a canone dejiciuntur. Irregulares vero secundum novissimam disciplinam reddunt ea præsertim publica crimina, quæ infamiam irrogant, sive jure, sive facto, *cap.* 87. *de R.J. in VI.* C. huc pertinent hæretici, eorumque filii, *cap.* 15. *de hæret. in VI.*; tum scenici, comoedi, seditiosi, fœneratores &c.), & etiam occulta nominatim in Jure expressa, *cap.* 18. *de sent. excomm. in VI.* Veniunt huc baptismum iterantes, vel eisdem ministerium impendentes, *cap.* 2. *X de apostat.*; excommunicati, qui ordines suscipiunt, *cap.* 32. *X de sent. excomm. cap.* 3. *X de cleric. excomm. ministr.*; per saltum promoti, *cap. un. X de cler. per salt. promot.*; qui ministrant in ordine, quem non susceperunt, *cap.* 1. & 2. *X de Cler. non ord. ministr.*, & qui non probati ad suscipiendos ordines accesserunt, *cap.* 1. & 2. *X de eo, qui furtive ordin. suscepit.*

§. 288. Præcipuum crimen, quod irregularem facit, est homicidium (non casu

casu factum, *cap.* 23. *X de homicid.*), & illicita humani membri mutilatio: homicidium quidem etiam non voluntarium; si res vetita, uti a Clerico chirurgia, exerceatur, & inde quis obeat: immo si res licita sit, & parum diligenter peracta; uti de percussione, quam mors sequuta fuit, pueri discipuli, traditur *cap. 7. X de homicid.* Rursus olim ex homicidio ad defensionem irregularitas manabat, *can. 7. dist.* 50.; quod sustulit Clemens V. *Clem. un. de homic.*

§. 289. Irregulares quoque censentur immites; qui sc. judicia capitalia exercuerunt, aut etiam justæ sanguinis effusioni causam præbuerunt (Clerici autem interesse non debent, quo loco sanguinis judicium exercetur, *cap. X ne Clerici, vel monachi. V. Tertull. de spectacul.*). At ex nova disciplina non omnes, Ita episcopi criminales caussas judicibus sæcularibus committunt, *cap. fin. ne Clerici, vel monachi in VI.* Quod constitutum fuit a Bonifacio VIII., ut possent Ecclesiæ feuda, ac regalia retinere. E contrario olim episcopi pro reis apud magistratus intercedebant. Neque hodie irregulares Clerici sunt, qui proprias persequuntur injurias,

Bonif.

Bonif. VIII. cap. 2. de homicid. in VI.: neque episcopi, qui degradatos Clericos magistratui sæculari dant puniendos; dummodo ne ad sanguinem procedatur, enixe exorent, *cap.* 27. *X de V. S.*

§. 290. Non possunt ad sacerdotium promoveri digami, seu plurium uxorum mariti. Apostolus enim 1. *ad Timot. III. v.* 2. *&* 12. inquit, episcopum, & diaconum unius uxoris esse virum. Ratio fuit incontinentiæ nota, quæ secundis inesse nuptiis existimabatur, *Thomass. p.* 2. *Lib.* 1. *c.* 58. At apud Latinos alia ratio ab Augustino inducta fuit, *defectus sacramenti*; quum digami sacramentum conjunctionis inter Christum, & Ecclesiam minime exprimerent. Proinde Græci, & ex Latinis Hieronymus irregularem non esse affirmant, qui unam uxorem ante, alteram post baptismum duxerunt; quia per baptismum maculæ omnes tolluntur; *can.* 1. *dist.* 26. *can.* 1. *c.* 28. *q.* 3. Aliud sentiunt Latini; quod sacramentum conjunctionis inter Christum, & Ecclesiam ita haud exprimatur. Ob hanc quoque rationem viduarum mariti, qui olim irregulares erant propter uxorum incontinentiam, digami habiti sunt, *cap.*

5.

5. ✠ *de bigam. non ordin.* Præter hos vere digamos, Decretalium interpretes, ad irregularitatem quoque, induxerunt digamos ab interpretatione, & a similitudine. Hi, similitudine a carnali matrimonio ad spirituale, censentur, qui aut virgines Deo dicatas ducunt, aut qui voto castitatis adstricti, virginibus nubunt. Illi vero, qui sacris initiati ordinibus, aut secundas nuptias, aut cum vidua matrimonium attentant: tum, qui cum unica, sed ab alio corrupta, veluti meretrice, matrimonium ineunt. Omnes isti, non quia digami, sed aut propter crimen, aut propter turpem uxoris vitam, quæ in maritum quodammodo redundare credebatur, & olim irregulares erant. Veterem hanc disciplinam desuetam interpretes non intellexerunt; atque effinxerunt digamiam: iisque fraudi fortasse fuere Innocentii III. verba, qui *cap.* 4. *&* 7. ✠ *eod.*; ait, cum Clericis, qui aut secundas nuptias, aut cum vidua matrimonium attentant, *tanquam cum bigamis non licere dispensari*.

§. 291. Porro corporis vitia, quæ vel horrori sunt adspicientibus, vel sacrum impediunt ministerium, irregularitatis causa

sa sunt, *cap.* 1. *&* *ult.* X *de corp. vitiat. cap.* 2. X *de Cleric. ægrot.* Ad hæc feminæ ab ordinibus removentur; & ii, qui in ætate immatura sunt. Apud nos hypodiaconi incœpto anno 22., diaconi 23., & presbyteri 25. creantur, *Trid. sess.* 22. *de Ref. c.* 12. At cum a minoribus ordinibus officia ferme jejuncta fuere, ii septennium impletum requirunt. Apud nos item prima tonsura non datur ante 13. annum ætatis, nisi quis ad eam adigatur ratione beneficii ecclesiastici obtinendi; *Concord. c.* 3. *n.* 1.

§. 292. Demum propter externam conditionem servi sunt irregulares, nisi domini eos manumittant, vel alias ordinationi consentiant, *can. Apost.* 82. Tutores quoque, curatoresque ante redditas rationes, *cap.* 1. X *de obligat. ad ratiocinia*, *Conc. Carth.* 1. *can.* 8.: & olim Curiales, *L.* 3. *C. Th. de episcopis*. *Bingh. orig. IV.* 4. Insuper extra nuptias quæsiti; quod non olim, sed labentibus annis invaluit, *can.* 1. *dist.* 56. *cap.* 1. X *de fil. presbyt.*; idque ad parentum Clericorum, qui ex concubina quæsitos filios ordinibus admovebant, incontinentiam cohibendam, atque amovendas in Ecclesia suc-

successiones. Sin illegitimi monachi fient, cessat hoc impedimentum pro sacris ordinibus, non item pro prælaturis, *d. cap.* 1. Præterea Clerici ordinati in una Ecclesia, non poterant alios ordines ab aliis episcopis suscipere, sine proprii episcopi licentia, *Conc. Carth. III. can.* 21., *Arausican.* 1. *can.* 8. Quare & episcopus debebat ex Clericis propriæ Ecclesiæ eligi, *Cælest. Pap. ep.* 2., *Capitul. Reg. Franc. I.* 18.: quinimo laici in alienis Ecclesiis promoveri non poterant, si erat peregrinorum vita ignota, *Conc. Illiber. can.* 24. *L.* 33. *C. Th. de episc.* *V. Thomass. p.* 2. *Lib.* 1. *c.* 1.

§. 293. Sicuti autem irregularitas ordines impedit suscipiendos, ita facit, ut ordinati a sacris removeantur officiis: immo ob crimen irregularis clericus ad laicam redigebatur communionem, *can.* 5. *dist.* 84., h. e. uti laicus cum Ecclesia communicabat. Quandoque irregulares a suo ordine dejecti in inferiorem gradum recidebant, *Conc. Nic. can.* 8. *Conc. Tolet. can.* 4. *apud Grat. can.* 17. *dist.* 34. idque, a re militari ducto vocabulo, *regradari* dicebatur. Non videtur tamen ordines jam irregularibus collatos fuisse

nullos, *Conc. Neocesar. can.* 9. Nullos esse tamen, si non a canonibus, verum a natura impedimentum proficisceretur, planum est; ut puta, si femina ad ordines promota esset. Quandoque vero Ecclesia nullos reddidit ordines irregularibus collatos.

§. 294. Tolluntur irregularitates vel ipso jure, vel superioris indulgentia. Irregularitates ex vitio temporario, atque extrinseco, ex ætatis, libertatis, vel scientiæ defectu, eo sublato, tolluntur: quæ vero ex perpetuo vitio proficiscuntur, una ex indulgentia tolluntur: quod olim ad episcopos, ac provincialia Concilia pertinebat: postmodum ad Pontifices. Sed ad episcopos pertinet in casibus Jure expressis. Quare ii indulgentiam concedunt illegitimis, sed tantum ob minores ordines, ac simplicia beneficia, *cap.* 1. *de fil. presb. in VI.*: tum in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, aliisque ad Judicem deductis, *Trid. sess.*24. *de Ref. c.*6. Ceterum venia dari non solet in voluntario homicidio; & ubi aliquis ad ordinum exercitia obeunda impar est.

CAP.

CAP. X.

DE SACRIS ORDINATIONIBUS.

§.295. DE facris nunc ordinationibus generatim agere oportet; ac primum de electione, ejusque confirmatione. Plane eligi quamoptimi debent, ut Clerici demum evadant. Id olim aliquando forte, *Act. I. v.* 23. *&* 26.; sæpe divina inspiratione factitatum legimus, *Bingh. IV.* 1. Primi etiam, qui ex ethnicis, aut Judæis ad nostram Religionem veniebant, eligi solebant, *Clemens Rom. ep.* 1. *n.* 42. Sed ordinarius eligendi modus, olim etiam, fuit electio proprie dicta, nimirum vocatio ex plurium suffragio facta; suffragio videlicet Cleri, & populi.

§. 296. Cum autem plura in popularibus electionibus vitia irrepserint, tandem in utraque Ecclesia defierunt; *Nov.* 123. *&* 137. *Justin.*; atque episcoporum electiones ad Provinciæ episcopos delatæ, ex generalibus Syn. VII., & VIII.: sc. a IX. Sæc. in Oriente. At Cleri, & populi suffragia pro episcopis, etiam XII.

Sæc. in Occidente supererant, *S. Bernard. ep.* 13. & 28.: licet jam antea defecerunt populi electiones pro presbyteris, atque inferioribus Clericis creandis; & successerunt denuntiationes ad populum.

§. 297. Episcopis electis, usque a Sæc. V. Cleri, ac populi suffragio Regium accedere assensum invaluit. *Conc. Aurelian.* 5. *ann.* 549. *can.* 11. *Can.* 1. *dist.* 96. *Joan. Diacon. in vita Greg. M.*; quem tamen a Sæc. VI. principes in nominationes verterunt, *De Marca VIII.* 9., & postmodum in sollemnes investituras; baculi, & annuli traditione episcopis, & Abbatibus facta; qua nihil spirituale, sed feuda, & regalia concedi credebantur, *Ivo Carnot. ep.*60. Postquam vero investiturarum abusus invaluit, iisque spiritualia tradi videbantur, obstitere Gregorius VII. primum, tum alii Pontifices; atque in pluribus Synodis dantibus, atque accipientibus investituras excommunicatio irrogata, *Nat. Alex. diss.* 4. *in Sæc. XI.* Tandem Lateranensi Syn. sub Callisto II. ann. 1122. restitutæ canonicæ electiones, ac principes sceptro investire, statutum fuit. Eæ tamen non diu steterunt, sed Pontificum electiones

ad

ad solos Cardinales delatæ fuere; episcoporum vero in Occidente ad Capitula Ecclesiarum Cathedralium a Sæc. XIII. Inde formæ electionis Jure Decretalium, per scrutinium, compromissum, & inspirationem; *V. Espen. p. 2. tit. 21. c. 4. §. 9. Cabassut. theor. & prax. Jur. Can. II.*24.; sicuti extraordinaria electio *postulatio* dicitur; cum petitio ad superiorem fit, ut benigne ad dignitatem, aut episcopatum admittat, qui canonico quodam impedimento admitti vetatur. *c. 4. X. de postul. prælat.* Electionibus tandem episcoporum in Pontificem translatis, Regium illud jus sensim defecit. De hac tamen re nonnulla suo loco superius attigimus (§. 159., & *seqq.*)

§. 298. Quoniam vero nemini cito manus imponenda, 1. *ad Timoth.* 22.; ideo in eligendis Clericis post Cleri, populique suffragia, etiam examen accedere debebat, ut, qui eligebantur, idoneos esse constaret, *can. 2. dist.*24.: aliter *furtive* ordinari dicuntur, atque a Clero removebantur olim, *can. 4. dist.* 81. Aliter ex Decretalium Jure, *cap.* 1. *& seqq. X. de eo, qui furtive ord. suscepit.* Discutiuntur autem in examine ca-

nonicæ ordinandorum qualitates, animi præcipue, ingeniique virtutes, ab eo, ad quem manuum pertinet impositio, *cap.* 24. *X. de Elect. Trid. sess.* 23. *de ref. c.* 7. De episcoporum confirmatione jam dicta denuo exponere, non vacat.

§. 299. Sacer autem ritus, quo Clerici inaugurantur, potestatemque spiritualem accipiunt, Latinis *ordinatio* dicitur, Græcis χειροτονία: potestas vero, quæ confertur, sc. ordinationis effectus, *ordo* appellari solet. Quare ordo definitur, sacramentum, quo spiritualis tribuitur potestas consecrandi, ac distribuendi eucharistiam. *Vere, & proprie sacramentum a Christo institutum*, definit Trident. *sess.* 23. *de sacr. ord. c.* 3. Quæ definitio saltem continet ordinum præstantissimum, sc. presbyteratum.

§. 300. Unum ordinationis sacramentum est: plures ordines. Plerique omnes Theologi episcopatum putant esse ordinem, & sacramentum a sacerdotio distinctum, *Morin. de sacr. ord. p.* 3. *exerc.* 3.: quod non adversatur Tridentino, cum septem esse ordines definit; modo episcopatum, & presbyteratum uno Sacerdotii ordine contineri affirmemus: potestatem nimirum eu-

eucharistiæ consecrandæ, & consecrandi eos, qui eucharistiam conficiunt. *Sirmond. Not. ad Sidon. Apollinar. IV. ep.* 11. Porro Diaconatum esse sacramentum, & divinæ originis, patet ex Tridentini verbis *sess.* 23. *c.* 6., ubi *ministrorum* vocabulo Diaconos intelligi, id argumento est, quod illud de ordinibus Diaconatu inferioribus accipi nullo pacto queat: licet aliud sentiat Bellarminus *controv.* 3. *de sacram. ord. cap.* 6., aliique. Subdiaconatum vero, & minores ordines, non esse sacramenta, probat præ ceteris Morinus *exerc.* 2. *c.* 2. Non enim sunt ab auctore sacramentorum, Christo instituti. Et Ecclesia neque nova sacramenta instituere, neque unum in plura dividere potest. Res vero, seu materia, qua majores conferuntur ordines, ex Apostolica traditione, est manuum impositio, *Act. VI.* 6.; Judæorum exemplo, *Selden. de Synedr. Hæbr. II.* 7. Verba autem, seu forma, erant olim preces Deo factæ, ut gratiam tribueret suam. In ordinatione presbyteri apud Latinos inter tres manuum impositiones, secunda ad sacramenti essentiam pertinet; atque ex apostolica traditione descendit. *Martenius de an-*

tiqu. Eccl. ritib. l. 8. Eſſentialis itaque epiſcopatus, presbyteratus, & diaconatus materia eſt ſola manuum impoſitio: forma eſt epiſcopi oratio. Jam vero formulæ indicativæ ad preces uſu acceſſere, *Nat. Alex. Theol. Lib.* 2. *de ſacram. ord. c.* 1. Traditio quoque inſtrumentorum fit ſub certis quibuſdam, ſollemnibuſque formulis. In Eccleſia autem Latina ordines minores ſemper inſtrumentorum traditione collati ſunt, *Conc. Carth. IV. can.* 5. In majoribus nonniſi poſt X. Sæc. inſtrumentorum introducta eſt traditio: quæ a Græcis nunquam adhibita eſt, *Morin. de ſacr. ord. p.* 2. (Græci vero poſt ordinationem peractam quædam inſtrumenta tradunt, ex. gr. diacono flabellum, ut is muſcas in ſacrificio arceret. De ritu ventilandi ſacra dona ediſſerit Bona *rer. liturg.l.*25.). Ad eſſentiam igitur ordinationis divino Jure non pertinet. Et Eugenius IV. *in decreto* ad Armenos non accipiendus eſt de propria materia, & forma, ſed de ritu addito ritui Apoſtolico (nimirum manuum impoſitioni), ut ab Armenis quoque adhiberetur. Ceterum licet hierarchicorum ordinum ſubſtantia ſit ſola manuum

nuum impositio, eique adjuncta oratio; in iis tamen conferendis nihil de singulis Ecclesiæ ritibus negligendum est. Ac si quid omissum sit, non iteranda ordinatio, *sed caute supplendum, quod incaute extitit prætermissum*. Ita rescripsit Gregorius IX. *cap.3. de sacram. non iter.*

§. 301. Apud Latinos tantum episcopi manus, & caput chrismate unguntur; manus presbyteri oleo catechumenorum. Id non ex Apostolica proficiscitur traditione. Et Mercatoris figmentum est Decretalis Anacleti, *can.* 1. *dist.* 75. Plane IV. Sæculo unctio isthæc incognita erat: non enim memoratur ab Ambrosio, Augustino, nec a Conc. Carth. IV., qui ordinationis ritus memoriæ tradunt. Apud ethnicos quoque, & Judæos unctio in usu erat. Oleum non adhibuit olim Ecclesia, forte quia christiani omnes in baptismo ungebantur, ita lato sensu sacerdotium adepti, *Tertull. de bapt. c.* 7.

§. 302. Ordinationis minister ordinarius, majorum præsertim clericorum solus episcopus est, *Trident. sess.*34. *can.* 7. Sane ab Apostolis presbyteri constituti fuere. Et nunquam Ecclesia ratas habuit ordinationes a presbyteris factas. Nec

Nec potestas ordinandi episcopos, presbyteros, & diaconos, quæ solis competit episcopis, presbytero delegari potest: quicquid nonnulli ex veteribus canonistis dicant. *V. Morin. p.* 3. *exerc.* 4. *c.* 3. Tres autem episcopi episcopum consecrant, *Thomass. p.* 2. *II.* 12. Minores Clerici saltem extra ordinem a presbyteris creari possunt. Ita sunt Cardinales presbyteri, & Ordinum Abbates erga suos subditos regulares, *Conc. Nic. II. can.* 14. *Trid. sess.* 23. *de Ref. c.* 10. Ita etiam chorepiscopi subdiaconos, & lectores ordinabant, *Conc. Ancyr. can.* 12. *Antioch. can.* 10.

§. 303. Episcopi autem in alienis Ecclesiis nonnisi proprio episcopo consentiente ordinare possunt: aliter *infirmas* ordinationes declaravit Conc. Antioch. *can.* 22. Sed ex Tridentino *sess.* 6. *de Ref. c.* 5. ordinati ordinum exercitio ipso Jure suspenduntur, & episcopus ab usu pontificalium. In propriis etiam Ecclesiis episcopi tantum sibi subditos ordinare possunt. Proinde episcoporum ordinatio ad metropolitas, & comprovinciales episcopos pertinebat. *Conc. Nic. can.* 4.: metropolitarum ad proprios Patriarchas, his institutis, *Conc. Chalc. can.* 28.;

Pa-

Patriarcharum ad episcopos comprovinciales, & metropolitas, *Justin. Nov.* 131.

§. 304. Antiquitus nonnisi episcopus, qui jam aliquem ordinaverat, ideoque Ecclesiæ addixerat, eundem ad majorem ordinationem promovere poterat, *Conc. Nic. can.* 16. *Chalc. can.* 20., *Sardic. can.* 15. Laici vero a quocumque episcopo ordines habere poterant, si optimi eorum mores elucerent, *Conc. Illiber. can.* 24. Verum post Sæc. X. invaluerunt ordinationes sine titulo, h.e. sine certa Ecclesia; ideoque sexcenti vagantes Clerici a quibuscumque episcopis ordinati, etiam sine *formatis* litteris, quas antea laici a propriis episcopis accipiebant. *Fleur. disc.* 7. *in Hist. Eccl.* Ut malis hinc suborientibus fibula imponeretur, novæ regulæ constitutæ sunt, ex quibus proprius ad ordines conferendos episcopus esset quadruplici titulo, h.e. *origine* (sc. ubi natus est ordinandus; etsi Jure Civili *origo* accipiatur de loco, ubi pater natus est, *L. 6. ff. ad municipal.*); *beneficio* (quod Clericum Ecclesiæ adstringit ex veteri disciplina); *domicilio* (quod potius animo æstimatur, *L. 6. C. de incolis*); & *familiaritate*, *cap.* 3. *de temp. ord. in VI.* E-

Episcopus familiaritatis censetur, qui alienum subditum per triennium apud se habet, eique beneficium concedit, *Trid. Sess.* 23. *de Ref. c.* 9.

§. 305. Verum & post has regulas quivis a pluribus episcopis ordinari poterat sine consensu aliorum episcoporum, etiam propriorum. Proinde Innocentius XII. Decretali *speculatores* addit, beneficium ad ordinati alimenta satis esse oportere; originem æstimari naturali nativitate, nec fortuita; & quando fortuita est, patris originem inspiciendam; domicilium saltem per decennium dijudicari, vel per translationem majoris bonorum partis; episcopum tandem beneficii, domicilii, aut familiaritatis habere oportere testimoniales litteras episcopi, seu originis, seu domicilii, seu utriusque.

§. 306. Id de laicis, & Clericis. Proprius autem episcopus ordinationis regularium, post privilegia antiqua, *cap.* 3. *de temp. ordin. in VI.*, is est, in cujus dioecesi est monasterium, *Trid. Sess.* 23. *de Ref. c.* 8., quod etiam Abbatibus permisit, ut regularibus subditis suis tonsuram, & ordines minores dare possent, *cap.* 10. Declaravit tandem S. C., idque probavit Clemens VIII.,

VIII., ut superiores regularium dimittant suos subditos regulares solummodo ad proprios episcopos; sed si hi absint, aut ordinationes non habeant, ad quemvis episcopum, a quo examen circa scientiam fieri debeat.

§. 307. Potest episcopus suis subditis *dimissorias* concedere litteras, ut ii ab alienis ordinentur episcopis, & redeant ad dimittentem. Sed ex antiqua disciplina ἀπολυτικὰ, *dimissoriæ*, dabantur ab episcopo, ut Clericus a suæ Ecclesiæ vinculo prorsus solveretur, *Conc. Trull. can.* 17. Inferiores Prælati dimissorias dare nequeunt suis subditis non regularibus, *Trid. d. c.* 10., *Ben. XIV. Syn. Diœc. II.* 11.

§.308. Porro valent ordinationes rite celebratæ a vero episcopo, licet hæretico, schismatico, deposito, excommunicato, atque extra catholicam ecclesiam; licet ordinum exercitio hujusmodi ordinati prohibeantur. *cap.* 2. *de schismatic.*, *& ordinatis ab eis*. Veterum autem hac de re motus, ac disputationes compositæ sunt post Sæc. XIII. ob receptam doctrinam, vim episcopalis characteris vigere, etsi adfuerit ordinantis culpa. Ejusmodi or-

ordinationes contra canones peractas, nullas prorsus fuisse usque ad Sæc. XI., putant Morinus, *exerc.* 5., Cabassutius *in Notit. Ecclesiast.*, aliique. Firmas semper fuisse, illicitas tamen, & usu vacuas, statuunt Lupus *diss. de simoniæ crimine c.* 16., Bertius *de Theolog. discip.* XXXVI. 14., Juvenin. *de sacram. diss.* 8., Hallierius, *de sacr. elect. p.* 2. *sect.* 5. *c.*3., aliique.

§. 309. Observandum est, ordinum capaces non esse, nisi mares, baptizatos, & confirmatos, *Conc. Nic. can.* 19. *cap.* 3. *X. de presbyt. non ord.*, *Albaspin. Obs. I.* 25., quosque divina evehat vocatio: & quidem volentes, *Innoc. III. cap.* 3. *X. de baptismo*: etsi nonnulli præ humilitate nonnisi reluctantes ordinati fuerint, *Morinus p.* 2. *ex.* 11. *Zieglerus de Clerico renitente, seu muneris ecclesiastici fuga*.

§. 310. Quoad canonicam ætatem ordinandorum, olim in presbyteris ordinanandis 30. anni requirebantur. Post dimidium Sæc. XII., anno 25. ordinari cœperunt, *Thomass. disc. p.* 1. *lib.* 2. *cap.* 70. Diaconi anno 25. ex Justiniano, *Nov.* 123. *c.* 13., Conc. Trullano *can.*

14.,

14., aliisque Conciliis. Hypodiaconi etiam anno 25., ex Justiniano, *d. Nov.*: postea 20. ex Conc. Trullano *can.* 15. Tum anno 1089. Conc. Melphense *can.* 4. sub Urbano II. permisit hypodiaconatum conferri anno ætatis 14., vel 15.; cum inter minores ordines recenseretur. Sed annum 18. hypodiaconis ordinandis statuerunt Pontificale Romanum, evulgatum ætate Leonis X., & Conc. Narbonense anno 1551. Minores ordines vel ipsis infantibus collati sunt in utraque Ecclesia. *Morinus p.* 3. *ex.* 15. Ex Tridentino autem *sess.* 23. *de Ref. c.* 12. hypodiaconi ante 22. annum, diaconi ante 23., presbyteri ante 25. non ordinantur. Nulla ætas minoribus ordinibus præstituta est, sed episcopi arbitrio relicta. Tamen post Trident. invaluit, ut ii ante septennium exactum minime conferrentur. At Concordato anni 1741. *cap.* 4. §. 5. nemo ante annum 13., præter arctatos, tonsura initiari potest.

§.311. Duo autem ordinationis sunt effectus; *gratia*, qua sanctitas augetur, ut ordinatus idoneus minister sit Ecclesiæ; & *character*, sc. nota spiritualis, & indelebilis, *August. contra Parmen. II.* 13.

Pro-

Proinde ordines iterum eidem conferri nequeunt, *Conc. Carr. III. can.* 38., & 97. *can.* 1. *q.*1.: Ii tantum reordinandi sunt, qui rursus baptizandi. *Conc. Nic. can.* 8. Observandum est, prioribus X. Sæc. ne quidem minoribus Clericis licuisse Clericatui abrenunciare, *Thomass. Discip. p.*2. *l.* 14.

§. 312. Ad clericatum olim obligatio perpetua erat, *Thomass. p.* 2. *l.* 14. *Conc. Chalced. can.*7.: aliter Clerici excommunicabantur; & Jure Civili addicebantur Curiæ, *L.*39. *C. Th. de episcop.* At post XII. Sæc. invaluit, ut non minores Clerici, sed majores tantum ad perpetuam stabilitatem adigerentur. Quum vero etiamnum hodie Ecclesia, ipsa clericali tonsura eos initiari statuit, quos perpetuum in Dei ministerio stare speretur, *Trid. sess.* 23. *de Ref. c.* 4., & *ult.*, apparet, Clericorum omnium Ecclesiam stabilitatem optare.

§. 313. *Ad titulum* autem fieri debet omnis ordinatio; sc. ad Ecclesiam, cui designatæ ordinatus inservire teneatur. Vetus isthæc disciplina, inducta ad confusionem evitandam, confirmata fuit a Conc. Chalced. *can.* 6., quod *irritas*, & *vacuas* de-

declaravit *absolutas* ordinationes, & sine *loco*, Leo M. *ep.* 112. *ad Rustic.*: *can.* 2. *dist.* 70.: tametsi quandoque id episcopi remittere non dubitarint iis, qui liberam, ac sanctam in solitudine vitam vivere volebant; quales Hieronymus, Macedonius anachoreta, Paulinus Barcinonensis. *Ad titulum beneficii*, quod post X. Sæc. invenitur, idem valet, atque ad titulum Ecclesiæ: nam beneficia clericos perpetuo Ecclesiis addicunt.

§. 314. Quod est in laudato canone Conc. Chalc. *irrita*, & *vacua*, significat *nullum* ab initio, sicuti recte interpretantur Zonaras, & Balsamon. At sicuti ordinationes contra formam divino jure statutam, nullæ certe sunt, an nullæ quoque sint, quæ contra formam Jure Canonico statutam fiunt, quæsitum est. Affirmat Morinus *p.* 3. *ex* 5. At Lupus *diss. de simonia c.* 16. Hallierius *de ss. ordinationib. p.* 3. *sect.* 5., aliique, validas fuisse, sed illicitas autumant. Sed hac in re varia Ecclesiæ fuit vetus disciplina. Moribus autem postrema hæc sententia probata est; ob characterem, qui nulla culpa amitti potest, *can.* 97. *c.* 2. *q.* 1. Proinde illud in veteribus canonibus *in-*

O *fir.*

firmum, *vanum*, *irritum*, quoad effectum accipiunt recentiores Canonistæ. Quin Jure Decretalium ob absolutas ordinationes solummodo adiguntur episcopi ad alendos majores Clericos, *cap.* 4. *X. de præbend.* Pœnas autem *antiquorum canonum* a Tridentino *sess.* 21. *de ref. c.* 2. irrogatas, non de veteribus Canonibus accipiendas esse, sed de Jure Decretalium, declaravit sacra Congregatio Concilii apud Fagnanum *in cap.* 16. *X. de præbend.*

§. 315. At post XI. Sæc., postquam beneficia seorsum ab ordinatione dari invaluit, sine Ecclesiastico titulo fieri ordinationes, cum disciplinæ detrimento, cœperunt. Quare Conc. Lateran. sub Alexandro III, *cap.* 4. *X. de præbend.*, ut ordinationes ad titulum restitueret, pœnam alendi ordinatos sine titulo irrogavit episcopis. Quum vero limitationem contineat ejus decretum; *nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hereditate subsidium vitæ possit habere*; ea occasionem præbuit inducendi præter titulum Ecclesiæ, titulum *patrimonii*, *cap.* 23. *eod.* Præbuit etiam occasionem versio Canonis 6. Chalced. apud Grat. *can.* 1. *dist.* 70., sc. *neminem absolute ordinari . . . .*, *nisi in ecclesia ci-*

vi-

vitatis, *sive possessionis*; ubi vox *possessio* accepta fuit pro patrimonio; cum pagum significet, uti & vox κώμη in canone.

§. 316. Ut autem vagantium, atque inertium Clericorum mala repararet Tridentinum statuit, nullum Clericum sæcularem sacros ordines suscipere, nisi habeat ecclesiasticum beneficium, quod resignari non possit; nisi aliunde resignantes habeant, unde se alant: non ordinari tamen eos, qui habent pensionem, aut patrimonium, *nisi pro necessitate*, *aut commoditate ecclesiarum*: pensionem autem, aut patrimonium esse sufficientia, nec posse alienari, nisi tantumdem patrimonii, vel beneficii acquiratur, *sess.* 21. *de Ref. c.* 2. Insuper *sess.* 23. *c.* 16. Tridentinum quasi renovavit canonem 6. Chalced., ut qui ordinatur, non vagetur, sed certæ Ecclesiæ adscribatur. At quia Episcopi faciles judices erant in decernenda Ecclesiæ *necessitate*, aut *utilitate*, nostro Concordato *cap.* 4. *n.* 1. & 3. statuitur, omnes ad titulum beneficii ordinari; & patrimonii titulum solummodo in vera Ecclesiæ necessitate, utilitateque admitti. Patrimonii alienationem

ipſo Jure nullam eſſe declaravit S. Congregatio *apud Ben. XIV. Inſt. 26.*, *&* *de Syn. XII. 9.* De epiſcopis autem *titularibus* actum ſuperius eſt. Eſt & titulus *monaſterii*, ad quem hodie ordinantur regulares., qui profeſſionem ediderunt. *Pius V, Conſt, Romanus Pontifex* 72. *Bullar. tom.* 2. Quare hodie triplex eſt ſacræ ordinationis titulus, ſc. beneficium, patrimonium, & monaſtica profeſſio. Poſt XII. Sec. majoribus tantum Clericis titulus præſcriptus eſt, uti ex Tridentino etiam, *ſeſſ.* 23. *c.*17. At in Regno ipſa tonſura initiandis titulus neceſſarius eſt, *Concord. anni* 1741, *cap.* 4. *n,* 1. 3. 4. *&* 8.

§. 317. Præterea ordines gradatim ſuſcipiendi ſunt: nam ab inferioribus miniſteriis ſenſim ad ſacerdotium, & veluti per gradus adſcendendum eſt, *Conc. Sardic, can.* 10. Quin in unoquoque gradu diutius immorari neceſſe eſt, ut dilucidius mores dignoſci queant; & ars curæ animarum adquiratur. De ordinum interſtitiis, ac tempore, quo in ſingulis gradibus permanere oportebat, varia antiqua diſciplina fuit. Poſt XIV. Sæc. anno triceſimo diaconi, & poſt aliud quinquen-

quennium presbyteri fiebant, *can.* 3. *dist.* 77. At novo Jure minores ordines per temporum interstitia dandi sunt; nisi aliud episcopo videatur; eaque episcopus etiam statuet. Hypodiaconatus non confertur, nisi post annum a postremo ordine minore; ac saltem anni spatium inter majores ordines intercedere debet, *Trident. sess.* 23. *de ref. cap.* 11. *ad* 14.

§. 318. Neque olim omnes ordines suscipere necesse erat; sed si quis majori gradu dignus dijudicabatur, ad eum adscendebat. *Hallier. de sacr. elect.*, & *ordinat. p.* 3. *sec.* 7. *c.* 1. *Jo. Mabillon. com. prævio in ord. Rom.* §. 18. Hac de re Morinus *p.* 3. *ex.* 11. *c.* 2. putat, episcopatum necessario presbyteratum requirere; presbyteratum vero nullum antecedentium ordinum. E contrario Thomass., Hallier *p.* 2. *sect.* 1., aliique statuunt, neminem, nisi diaconum, ad presbyteratum, nec nisi presbyterum, ad episcopatum adscendisse. Rectius Mabill. *d. loc.*, Martenius *de antiquis Eccl. ritib. l.* 8., aliique demonstrant, in Romana, aliisque Ecclesiis Occidentis, & presbyteros sine diaconatu ordinatos, & diaconos sine presbyteratu ad episcopatum per-

venisse. Neque hariolari oportet, in una, eademque liturgia omnes ordines collatos fuisse, uti opinatur Thomass. *p.* 1. *Lib.* 2. *c.* 36. At Sæc. XI. jam in Rom. Ecclesia receptum erat, nullos posse ordines omitti, minoresque ad vim, & veluti integritatem majorum pertinere. Græci autem jam IX. Sæc. omnes inferiores ordines præmittebant: ac Photius Latinis vitio vertebat, quod presbyteratu omisso diaconi ad episcopatum promoverentur, *Nicol. Papa ep.* 70. At presbyteratus eminenter in episcopatu continetur.

§. 319. Itaque novo Jure *per saltum* ordines minime conferuntur. Si collati fuerint, ordines omissi ex episcopi indulgentia suppleri debent, *cap. ult. X. de cler. per salt. promot.* At si in suscepto ordine ordinati per saltum ministraverint, Summi Pontificis venia opus est; *Trid. d. loc.* Possunt autem episcopi, modo justa adsit causa, interstitiorum tempora contrahere, *Trid. d. loc.*: non vero duos sacros ordines conferre eodem die, *cap.* 15. *X. de temporib. ordin.*, nec duobus consequentibus diebus, *cap.* 13. *eod.*

§. 320. Jam vero de ordinationum

tem

temporibus edisseramus oportet. Et quidem olim majores etiam Clerici, cum opus erat, ordinabantur; *Bingh. IV. 6. Pagius Critic. Baron. ad ann. 67. n.* 18. At post pacem Christiano nomini partam, V. Sæc. jam in Latina Ecclesia receptum erat, majores ordines non esse conferendos, nisi *die dominicæ resurrectionis*, h. e. qualibet dominica (nam veteres paschatis diem *sanctum pascha*, & *paschalem festivitatem* nuncupabant, *Quesnellus diss.6. de jejunio Sabbati, inter opera S. Leonis.*), *Leo M. ep.* 11. *apud Grat. can.* 5. *dist.* 75. Receptos autem mores Leo *ibidem* quoad *sacerdotales*, & *Leviticas* ordinationes, apostolicam traditionem dixit.

§. 321. Hæc autem disciplina statim defecit, h. e. ante finem Sæc. V. Atque ex moribus Apostolorum, qui jejunantes manus imposuerunt diaconis, presbyterorum, ac diaconorum ordinationes sabbatis quatuor sollemnium anni temporum, & sabbato mediæ quadragesimæ, circa vesperam, factæ sunt, *Gelas. Papa ep. 9. ad episc. Lucaniæ.* Verba Gelasii anno 494. scripta, hæc sunt; *ordinationes presbyterorum, & diaconorum, nisi certis*

temporibus, *&* *diebus*, *exerceri* ***non debent;*** *idest quarti mensis* (h. e. Junii) *jejunio*, *septimi*, *&* *decimi*, *sed etiam quadragesimalis initii*, *ac mediana quadragesimæ die sabbati jejunio circa vesperam noverint celebrandas*. Hebdomada mediana est quarta quadragesimæ, quæ dominicam *Passionis* præcedit. Olim enim non a Feria quarta Cinerum, sed a Feria secunda post Dominicam primam, quadragesimale jejunium incipiebat. Hinc mediana Dominica est, quam nunc *Passionis* dicimus; & sabbatum hebdomadæ medianæ, quod a principio introitus *Sitientes* appellatur. E contra Lupus opinatur, ordinationes sabbati mediæ quadragesimæ in sabbatum sequens ante dominicam passionis translatas fuisse, *Schol.in decr.* 3. *S. Leon.* Additum etiam est Sæculo XII. sabbatum sanctum, *cap.* 3. *X. de temporib. ord.* At Græci nullum diem habendis ordinationibus addictum habent, *cap.* 9. *&* 11. *eod.*

§. 322. Extra prædicta sex tempora majores ordines conferri nequeunt, nisi ex Rom.Pontificis venia: aliter ordinans auctoritate ordinandi privatur, & ordinatus ipso jure suspenditur ab ordinis usu, do-

donec dispensetur, *d. cap.* 11. Hanc dispensationem Rom. Sedi reservavit Urbanus III. *cap.* 7. *eod.*: at episcopo videtur concedere Gregorius IX. *cap.* 16. *eod.* Sacri ordines duo eadem die, vel duobus continuis conferri non possunt, *cap.* 13. & 15. *eod.*; nec una die minores ordines, & hypodiaconatus, *cap.* 3. *de eo, qui furtive ordines suscepit*, *Bened. XIV. Inst.* 106.

§. 323. Dies itaque ordinationum fuit sabbatum, hora vespera, *Leo ep. ad Dioscorum*, *Gelasius d. ep. ad episcopos per Lucan.Brut.*, & *Sic. const. ann.* 494. Non quia sabbato ordinationes fierent (fiebant enim die Dominico); sed quia vespera sabbati sic incipiebat, ut mane Dominico die perficeretur. Quare missa, quæ in ordinationibus celebrabatur, ad Dominicam pertinebat. Jejunium ideo sabbati in mane Dominicæ extendebatur, *ut his, qui consecrandi sunt, jejunis, & a jejunantibus sacra benedictio conferatur*, Leo *d.ep.* Id obtinuit ad Sæculum usque XIII., uti ex Innocentio III. *cap.* 13. *X. de temporib. ordin.* Postmodum, ne jejunii continuatione ordinandorum, & ordinantium vires accisæ forent, nec Dominica

ma-

mane, nec vespera sabbati, sed sabbati mane ordinationes fieri inductum est, *Lup. ad 3. S. Leon. decret.* De Græcorum autem ordinationibus vide Morinum *adnot. in Ordin. Græcor.* Minores autem ordines quovis die dabantur: postea Alex. III. Dominicis, aliisve festivis diebus dari rescripsit, *cap.* 3. X. *de tempor. ordin.*, *Pontificale* Rom. tit. 2. §. 13. Episcoporum vero consecrationes quovis die dominico, etiam hodie fiunt; & hora diei tertia, qua Apostoli Spiritum S. acceperunt. Summi Pontificis autem indulgentia opus est, si presbyteri, diaconi, & hypodiaconi ordinationes extra tempora celebrari velint.

§. 324. Post III. Sæc. ordines tantum in Ecclesia conferri cœperunt; & quidem inter sacra mysteria, populo adstante. Idipsum ccnfirmavit Tridentinum *sess.* 23. *de Ref. c.* 8.: excipe minores ordines, & primam tonsuram, *Pontificale Rom. tit. de ordinib. conferend.* Neque hic jurisdictionis actus, sc. ordinum quorumcumque conferendorum, in alieno territorio ab episcopo exerceri potesti, *Trident. sess. 6. de ref. c.* 5. De ritibus ordinatiorum legendi sunt Morinus, Hallier, Arcudius, aliique.

CAP.

CAP. XI.

DE VITA, ET HONESTATE CLERICORUM.

§. 325. PRæter cujuſque ordinis officia, ſanctam Clerici vitam degere debent, qui exemplo aliis tenentur prælucere. Virtutibus omnibus ornati ſint, neceſſe eſt; Conc. Carth.*can.* 15.: omniaque officia ex animarum cura deducant, *Nazianz. orat.* 1. Tum debent ab ebrietatibus, aleis, *Conc. Apoſt.* 31., ludis ſcenicis, ſpectaculiſque abſtinere, *L.* 34. *C. de epiſc. aud.*, *cap.* 12. X. *de vita, & honeſt.Cleric.:* nec tabernas, niſi in itinere, intrare, *can.*2. & 4. *D.*44.

§.326.Bonam quoque de ſe ingerere opinionem Clerici debent. Soli propterea ad virgines, viduaſque accedere vetantur *Conc. Carth.III.can.*35. Abuſus olim apud quoſdam Clericos invaluit, qui domi ſuæ alebant *ſubintroductas*, quæ & *agapetæ*, & *ſorores* audiebant; *Hieron. ep.* 22. *ad Euſtoch. c.* 5., & apud quaſdam Eccleſiæ virgines, quæ agapetos habebant, *Cypr. ep.* 62. *al.* 4.: licet initio, quum agapetæ viduæ erant

erant senescentes, mos iste innoxius fuerit, *Tertull. de monog. c. 16.*; & quidem receptus a moribus Judæorum, apud quos mulieres de substantia sua victum atque vestitum præceptoribus ministrabant, *Hier. in Matt. IV.* 27. Deinceps Clericis agapetas interdixerunt *Conc. Nic. can.* 3. & *Ancyr. can.* 19.: iisque Nicænum permisit tantum habere mulieres sanguine conjunctas. Sed & has interdixit Conc. Moguntinum anno 812.: *cap.* 1. *X. de cohabit. cleric., & mul.*

§. 327. Cælibatus inter Clericorum virtutes esse debet. Quare & ante contractis nuptiis uti nequeunt; & nullas postea inire: animum enim eæ a sacro abducunt ministerio, 1. *ad Cor. VII.* 33. *Apostoli vel virgines, vel post nuptias continentes*, *Hieron ep.* 50. Castitatem inculcat Origenes *Hom.* 23. *in Numer.*: quam vel ipsi deorum sacerdotes profitebantur, *Potter. Archæol. Græc. II.* 3. At primis Sæculis potius sponte Clerici sacrati cælibes erant, quam canonibus præcipientibus. Conc. Neocesar. *can.* 8. statuit, Clericos tum abjicere uxores, cum adulteræ fuerint. Verum ante Conc. Nicænum jam recepta erat disciplina, qua Clerici post

sa-

ſacros ordines ſuſceptos, facultate contrahendarum nuptiarum privati fuere, *Socrat. l.* 11.. Et Conc. Neocesar. *can.* 1. deponendum eſſe cavit presbyterum, qui conjugium faceret: & Ancyranum *can.* 9. nuptias inire permiſit diaconis, qui in ordinatione proteſtantur, ſe ſine uxoribus vivere haud poſſe; *propterea quod epiſcopus eis licentiam dederit*: Ita perperam ex Græco vertit Martinus Bracarenſis *par.* 1. *can.* 39. Poſtmodum (quod durius erat, & fruſtra in Con. Nicæno tractatum, *N. Alex.*, *Dupin.*, *Lupus contra Baron*,) Clerici prohibiti ſunt nuptiis uti ante ordinationem initis. In Oriente ad V. Sæc. Clerici majores mulieribus ſe abſtinebant ſuis, *Hieron. adverſ. Vigilant.*: poſtea uſi ſunt, *L.* 19. *C. de epiſc. & cler.*, *Socrat. V.* 22. Tum ſoli epiſcopi eo uſu interdicti fuere, *Nov. 6. cap.* 1. & 2. Quæ Orientalis Eccleſiæ diſciplina confirmata in Conc. Trull. *can.* 12. viget adhuc.

§. 328. In Occidente vero poſt Nicænum generalis diſciplina fuit, ut epiſcopi, presbyteri, & diaconi ab uxoribus ante ordinationem ductis recederent, *N. Alex. diſſ.* 19. *in* 4. *ſæc. prop.* 2.,

An-

Ante Nicænum Patres Illiberitani *can.*33. in Hispania idipsum statuerant. Quoad minores autem Clericos canon Apostol. 27. solummodo lectoribus, & cantoribus nuptias inire permisit: sed usus matrimonii ante contracti nunquam fuit minoribus clericis interdictus; excipe hypodiaconos, etiam IV. Sæc. *Conc. Illiber. d. can.* 33. *Leo M. ep.* 84. *ad Anastas.* Sed & iis Sæc. VI. apud Latinos perpetuus cælibatus indictus est. (§. 131.) Purior isthæc disciplina post X. Sæc. adeo concidit, ut Clerici pro suis focariis censum quemdam Regibus pendere non dubitarint. Tandem fibulam huic rei imposuit Tridentinum *sess.* 24. *can.* 9.

§.329. Porro a sæcularibus negotiis abstinere se Clerici debent; 2. *ad Timoth. II. v.* 4: Igitur a negotiatione quæstuosa *lucri gratia*, *Conc. Carth. III. can.* 15., *cap.* 6. *X. ne clerici vel monachi*: ab administratione rerum laicorum, *Conc. Carth.* 1. *can.* 6., *Chalced. can.* 3: a sordidis opificiis, *cap. un. de vit.*, *& hon. Cler. in VI. Clement.* 1. *eod*: a venatione, quæ Jure Germanico veluti proprietatis pars censebatur, *Boëhmerus J. Eccl. V,* 24. *Nat. Alex. Theol. dogm. & moral. de sacr. ord. II.* 5.:

a

a civilibus, publicisque muneribus, uti ex Constantini M. litteris ad Anulinum *apud Euseb. X. 7. & L. 2. C. Th. de episc.* Hac exemtione iis concessa, episcopi tutores, curatoresve, esse non possunt: ceteris Clericis permissum tantum legitimas tutelas suscipere, *Conc. Chalced. can.* 3. *Nov.* 133. *c.* 5. Clerici nequeut esse advocati in sæcularibus negotiis, *L.* 41. *C. de episc.*; nisi proprias lites, aut Ecclesiæ suæ, aut miserabilium agant, *cap.* 1. *X. de postul.* Nequeunt medicinæ usui vacare, *cap.* 10. *X. ne Clerici, vel monachi*; quod antea faciebant; præsertim Casinenses monachi, & episcopi Salernitani. A chirurgia interdicuntur, ne forte mortis causam præbentes, a canone sint alieni, *cap.* 19. *X. de homicid.* Tum a bello: licet sequiori ævo episcopi, & Abbates militare tenerentur pro Principibus, qui iis ideo Feuda concedebant, ut maximo eorum præsidio dominari potuissent. Id de Carolo M. tradit Guilelm. Malmesburiensis *de gest. Reg. Angl. Lib.* 5. Tandem a mero imperio exercendo Clerici repelluntur: *cap.* 5., & 9. *X. ne Clerici, vel monachi cap. ult. eod. in VI.*: tametsi jure Feudi id quandoque episcopi exercuerint, vel per se,
vel

vel per Ballivos, *Boëhmer. III.* 20. §. 79. De Clericorum immunitatibus inferius.

*

PARS

PARTITIONUM JURIS CANONICI

PARS II.

De rebus ecclesiasticis.

§. 130. Res ecclesiasticæ in spirituales, & temporales dividi solent. Illæ æternam spectant christiani hominis felicitatem, & vel incorporales sunt, uti virtutes; vel sensibus percipiuntur, uti sacramenta, sacrificia, ecclesiæ, altaria, vasa sacra, sepulturæ. Hæ vero ad Clericorum pertinent sustentationem; uti prædia ecclesiæ, reditus beneficiorum, decimæ: quæ res *temporales* dici solent. Quod si prædia Ecclesiastica quandoque *spiritualia* appellantur, *cap.* 2. X *de judic.*, id improprie dictum est; quia sc. ad spiritualia referuntur. Nos igitur de Sacramentis, Ecclesiis, Beneficiis, aliisque ecclesiasticis reditibus, altera hac Partitionum Canonicarum parte agemus.

C A P. I.

De sacramentis generatim.

§. 131. Sacramenti vocabulum (Græcis μυςήριον) multa exhibet. Heic est *signum rei sacræ*. Nimirum *signum* est, quod sub sensum cadit: *res sacra* est gratia, quam signum externum designat, & confert. Quare per Gratiam *can.* 32. *dist.* 2. *de consecr.* sacramentum ex Augustino definitur, *invisibilis gratiæ visibilis forma*; quæ, observantibus Romanis Correctoribus, non sunt Augustini verba, sed ex ipsius ep. 16. eruuntur.

§. 132. Ex Peripatetica Philosophia Sæc. XII. ortæ sunt in re Canonica voces *materia*, & *forma*. Conc. Florentinum *in Instr. ad Armen.* docet, sacramenta perfici *rebus*, *tanquam materia*; *verbis*, *tanquam forma*; *&* *persona ministri conferentis sacramentum; quorum si aliquod desit, non perficitur sacramentum*. Antea distinguebatur *signum*, seu *sacramentum*, quod materiam, & formam denotabat; & *res sacra*, seu *res sacramenti*, h.e. character, & gratia, *Morin. de ss. ordin. p.* 3. *ex.* 1. *c.*3.

§.133.

§. 133. *Materiam remotam* dicunt, quæ ad sacramentum conferendum est adhibenda, uti est aqua, oleum, *&c.*; *proximam* dicunt materiæ usum, uti ablutio, unctio &c. Res autem, & verba a Christi institutione sunt; & partim in Evangelio leguntur; partim arcana traditione ad nos usque pervenerunt. Ritus quidam ab Ecclesia additi sunt, qui mutationi subjacent; *Morin, de pœn. VIII.* 18.

§. 134. Forma aut est *absoluta*, seu pura; aut conditionalis: quæ divisio nonnisi VIII. Sæculo obtinuit. Nam antea iterabantur sacramenta, quæ cum iterari non possint, nunc sub conditione conferuntur, si quid minus rite peractum constaret, ita ut de collati sacramenti vi dubitari queat. Id enim iteratum non videbatur olim. *Leo M. ep.* 37. *S. Greg. ep.* 31. Conditionalis autem forma primum in Caroli M. Capitularibus *VI.* 181. præscripta fuit: tum ab Alexandro III. Sæc. XII., cujus Decretum prostat in *cap.* 2. *X de Baptism.*; quod tamen non ubique statim innotuit. Nonnulli conditionalem quoque absolutionis formam admittunt. *V. Juvenin. de sacram. diss.* 1. *q.* 3. *art.* 2.

§. 135. Necessaria etiam est Ministri intentio, seu voluntas ad sacramentum perficiendum; ut is saltem facere velit, *quod facit Ecclesia*, *Trident. sess. 6. can.* 11. Proinde sacramenta joco collata, non consistunt, *Trid. sess.* 7. *&* *sess.* 14. *c.* 6.: & intentio *habitualis* ad sacramenta conficienda non sufficit: necesse est, ut sit *actualis*, vel saltem *virtualis*. Esse autem debet interna. An autem externa valeat, vide Juvenin. *Diss.* 1. *q.* 5. *art.* 3.

§. 136. Septem sunt sacramenta; (Græcis etiam. *V. Allatium*, *Goarium*, *&* *Arcudium*); & quidem a Christo gratiæ largitore instituta, *Trident. sess.* 6. *de sacram. in genere c.* 1.; ut nos ab ipso profecti per creationem, ad ipsum revertamur per amorem, & gratiam, atque in ipso æternum conquiescamus, qui finis noster est, summumque bonum, & felicitas consummata. Per sacramenta autem, ut sanctitatis instrumenta, Deus suum in nos spiritum effundit, quo veluti nexu ad se pellicit, sibique tam feliciter copulat, ut cum eo unus idemque spiritus efficiamur, *Joann.* 17., & membra Christi evadamus, *S. August. tract.* 3. *in Joann.* Num Christus singulorum sacramen-

to-

torum materiam, & formam in specie determinaverit, quærunt Theologi. *V. Juvenin. de sacram. diss.* 1. *q.* 5. *c.* 3. Nulla est de hac re Ecclesiæ definitio. Denique de veteris testamenti sacramentis vide N. Alex. *diss.* 3. *in IV. Mundi ætat. art.* 4.

§. 137. Sacramentorum omnium effectus est gratia sanctificans, *d. sess. c.* 6., quam sacramenta elargiuntur *ex opere operato*, ut ajunt, modo subjecta apta inveniantur, *Juvenin. d. loc. q.* 7. *c.* 1. Veteris testamenti sacramenta non vi sua, sed ex fide suscipientium, aut parentum, justitiam præstabant, *Aug. in Ps.* 67. Quare ea *infirma*, *&* *egena elementa* appellat Apostolus *ad Galat. IV.* 9. Verum baptismi, confirmationis, & ordinis proprius effectus est *character*, h.e. spiritualis animæ nota, qua divino cultui addictionis nota quis ab aliis distinguitur, & ob quam hæc sacramenta repeti nequeunt, *sess.* 7. *de sacram. c.* 9. Et licet apud veteres Patres *characteris* vox non extet, extant tamen similes. Subtiles post Sæc. XIII. scholasticorum disputationes sciens prudens omitto. Observandum est, etiam veteres Patres de sacramentis subobscure loquutos,

 quia

quia Religionis arcana paganis, & catechumenis occultabantur, *Schelstratenus Diss. de disciplina arcani*.

C A P. II.

DE BAPTISMO.

§.138. GRæce βαπτίζειν est *mergere*; & per metalepsin *abluere*: & baptismus *ablutio*. Est sacramentum novæ legis, quo homines in spiritualem vitam regenerantur. Receptæ autem apud Judæos, & Gentes erant religiosæ per aquam oblutiones, *Huet. in Alnetan. II.* 20. Materia est aqua naturalis. *Trid. sess.* 7. *c.* 2. Rescriptum Stephani III. apud Sirmondum *tom.* 2. *Concilior. Galliæ*, quo probatur baptismus in vino datus, apocryphum est. *V. A. August. de emend. Grat. p.* 200., *Baluzium in A. Aug. p.* 421., & *Harduinum de baptismo in vino*. Quod si Joannes Christi baptisma Spiritu Sancto, & igne constare prædixit, *Matt.III.* 11., id de baptismi effectibus complures Patres intelligunt. Aqua vero ex antiqua disciplina benedicitur: quod aquæ *sanctificatio*, & *consecratio* audiebat, *Tertul-*

l.de

l. de bapt. c. 4. Apud Latinos duobus diebus consecratur aqua ob baptismum, sc. Sabbati Sancti, & Pentecostes, quibus sollemnis baptismus conferabatur olim. Græci in singulis baptismis aquam benedicunt. Proxima materia est ablutio, cujus triplex modus, *adspersio*, *effusio*, *immersio*. Veteres de baptismi per adspersionem, & effusionem dati validitate dubitarunt. *S. Cypr. lib.* 4. *ep.*7. Sæc. XIII. exeunte immersio (utplurimum trina; & quidem nudi corporis) desuevit, atque effusio frequentari cœpit.

§. 139. Forma apud latinos est; *ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Quidam verba, *ego te baptizo*, omitti posse putarunt, sed contra rescripsit Alexander III. *in cap.* 1. *de baptism. V. Morin. de pæn. VIII.* 16. Apud Græcos forma est, *Baptizetur* (seu *Baptizatur*) *servus Dei &c.*; fortasse quia ex verbis *ego te baptizo*, sacramenti vim ex conferentis persona æstimari putarunt: & ne quis in Novatianorum hæresim dilaberetur, existimantium, ad sacramenti vim fide ministri opus esse. Ceterum perperam Græci baptismum Latinorum formula datum, nihili esse putarunt, *In-*

noc. III. in cap. ult. h. t. An valeat baptiſmus in ſolius Chriſti nomine collatus? Affirmant Nicolaus I. *con.* 24. *diſt.* 4. *de conſec.* ex authoritate Scripturarum *Act. II.* 38. X. 47. XIX. 5. , & Ambroſii *de Sp. S. l.* 3. Verum Scripturarum loca accipienda ſunt de baptiſmo per Chriſtum inſtituto , non ſolius ejus nomine miniſtrato ; & Nicolaus Papa id incidenter , non ex propoſito dixiſſe videtur. *Eſtius in IV. ſent. diſt.* 3. §.5. Præterea Alexander III. *cap.*1. *X de baptiſmo* reſpondit, omiſſis verbis, *ego te baptizo*, baptiſmum nullum eſſe.

§. 140. Miniſter ordinarius baptiſmi olim fuit epiſcopus, *Matth. XXVIII.* 19., aut presbyter, *non tamen ſine epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt*, uti ait Tertullianus *de bapt, c.*17. *Auguſt. de Civ. Dei XXII.* 8. At poſt Sæc. V. proprius Presbyter cœpit etiam ſine epiſcopi licentia, baptiſmum conferre. Ceteri presbyteri, & diaconi venia epiſcopi; aut parochi, baptizant. Verum ex neceſſitate ipſi laici ſine culpa baptizant: id olim in Eccleſia Græca non obtinebat; uti ex facto Gregorii Nazianzeni in naufragii periculo, *Baſil. Ep.*

Ep. ad Amphiloch. Valet baptiſmus a laicis collatus etiam præter neceſſitatem, uti ex perpetua traditione conſtat; ii tamen contra Eccleſiæ diſciplinam peccant, atque alienum munus uſurpant, *Aug. lib. 2. contra ep. Parmen. c.* 13. Valet etiam baptiſmus ab hæreticis collatus, ſi formula a Chriſto præſcripta detur. Ita contra Africanos Patres Stephanus P. judicavit, *N. Alex. in Sæc. III. art.* 5.; tum ſtatuit Eccleſia univerſa in *plenario*, h. e. œcumenico Concilio, *Auguſt. Lib.* 2. *de Bapt. c.* 4. (quod Arelatenſe I. an Nicænum fuerit, diſputant Canoniſtæ); ac Tridentinum *ſeſſ.* 7. *can.* 4. Idem ſentiendum de baptiſmo collato a Judæis, ac iis generatim, qui baptizati non ſunt, uti Sæc. IX. reſcripſit Nicolaus I. P. *ad conſulta Bulgarorum in can.* 24. *de conſecr. diſt.* 4. Sacramenta enim a Chriſto, non a miniſtris vim habent. At olim receptum fuit, validos eſſe baptiſmos a Chriſtianis tantum adminiſtratos: & Græci nunc huic etiam hærent ſententiæ.

§. 141. Baptiſma mortuorum improbarunt Africani Patres *can.* 18. *C. Afric.* Improbatum quoque *baptiſma vicarium*,

quod

quod a vivis mortuorum nomine quidam hæretici suscipere solebant. *Bingh. XI.* 4. Infantes in fide Ecclesiæ recte baptizari, contra Anabaptistas hæreticos definivit Tridentinum, *sess. 7. de Bapt. can.* 13., sponsoribus adsumtis, qui pro iis respondèrent: etsi nulla præesset catechesis, uti præerat in adultis baptizandis. Hinc Catechumeni inter fideles, ac Ethnicos, veluti medii erant; eorumque gradus cum precibus, ac manuum impositione obtinebatur. *Coteler. in Const. Ap. VII.* 39. Catechumenatus tempus post Apostolorum ætatem diversum fuit: quod & produci, & contrahi poterat. Tres erant Catechumenorum ordines: in imo ordine erant *Audientes*; in medio *Genuflectentes*; in summo erant *Electi*, seu *Competentes*; ita dicti, quod jam baptismum peterent, *Morin. de Pœn. VI.* 1. *Albaspin. Obs. lib.* 2. *Martene de ritib. Baptism.*. Quod si Catechumeni catechesis tempore peccarent, in inferiorem recidebant gradum, *Conc. Nic. can.* 14.

§. 142. Catechumenis autem quædam Religionis mysteria reticeri, vetus Ecclesiæ disciplina fuit, ab ipso Christi, & Apostolorum facto repetenda, *Matt.* 13. *v.* 11.

v. 11., & 7. *v.* 6., *Act.* 1. 4. 10. 17. Et Paulus, *ſapientiam loquimur inter perfectos*; *Scheleſtratius Diſſ. de diſciplina arcani*. Hinc in Patrum concionibus illud; *norunt fideles*: quicquid contra dicant Dallæus *de ſcriptis Ignatii l.* 22., & Binghamus *Orig. X.* 5. Quod ſi aliud ſuadere videantur duæ Juſtini Martyris Apologiæ Imperatoribus, ac Senatui Romano oblatæ, dicendum eſt, eum ex neceſſitate liberius loquutum, ut turpes notæ Chriſtiano nomini adſperſæ prorſus eluerentur. Arcana autem Religionis potiſſimum fuere ſacramenta; quædam preces; ea Liturgiæ pars, quæ *miſſa fidelium*, ſive *officium Eucharisticum* vocitabatur; & Fidei ſymbolum. *Bona Rer. liturg. l.* 16. Adnotari meret, infantes, ut baptizari poſſint, in lucem editos eſſe oportere: tum filios infidelium, parentibus invitis, ne fides in diſcrimen veniret, baptizandos non eſſe. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. Non ita, ſi parentum alter eſſet chriſtianus, *Conc. Tolet. IV. can.* 63. *Drouven. de re ſacram.*

§. 143. Certa olim anni tempora ſollemni baptiſmo dicta ſunt. Et poſt Conſtantinum M. ſacræ ædes, *Baptiſteria* di-

ctæ,

ctæ, ad conferendum baptiſmum conſtitutæ. Catechumeni Occidentem verſus Satanæ ter abrenunciabant, *Cyrill. Hieroſ. catech.*1.: tum converſi ad Orientem pactum inibant *cum ſole juſtitiæ*, *Hier. comm. in Amoſ. c.6.*; fidemque ſollemniter etiam ter profitebantur, *Cyrill. Alex. Lib.* 2. *in Joh.* 21.

§. 144. Qui pro baptizandis fidem interponebant ſuam, *ſponſores*, ſeu *fidejuſſores*; ac *ſuſceptores*, quod emergentes ſuſcipiebant; nunc *patrini* dicuntur; quique reſpondebant pro parvulis, vel pro adultis morbo impeditis. Sed & Eccleſiæ placuit etiam pro iis adultis, qui reſpondere poterant, ſponſores adhiberi, *Conſt. Ap. III.* 16.; cum illorum tamen reſponſione, *Aug. de bapt. IV.* 24. Sponſores, præcipue infantum, erant olim parentes ipſi: ſed poſt IX. Sæc. id parentibus vetitum eſt; nimirum ann. 813. *can.* 55. *Conc. Mogunt.* Apocrypha autem eſt epiſtola Papæ *Deusdedit* Sæc. VII. apud Gratianum *cauſ.* 30. *q.* 1. *can.* 1. Mutationis cauſa videtur fuiſſe ſpiritualis cognatio, quæ nuptiis inter ſuſcipientem, & ſuſcepti parentes jam Sæculo VII. obſtabat. *Eſpen. p.*2. *tit.* 2. *cap.* 4.

Mo-

Monachi susceptores esse prohibentur, *Can.* 103. *dist.* 4. *de consecr.*: quin ex recentibus Canonibus, & S. Caroli statuto Clerici sacris ordinibus initiati, & beneficiarii. Unus susceptor esse debet, aut unus, & una, *Trident. sess.* 24. *de ref. matrim. cap.* 2. ne spiritualis cognatio ad plures extenderetur. Triplex siquidem est baptismi effectus, gratia, character, & spiritualis cognatio. Hæc autem ex hodierna disciplina contrahitur inter baptizantem, & baptizatum, ejusque patrem, ac matrem; item inter suscipientem, & susceptum, ejusque patrem, ac matrem, *Trid. d. loc.*

§. 145. Post baptismum neophyti candidas vestes octo dies gerebant, quas octava Paschatis (hinc *in albis Dominica* dicitur) deponebant, *Aug. hom.* 86. *divers*: iisque lac, & mel dabatur. Orationem Dominicam recitabant, *Const. Apostol. VII.* 44. (quæ *fidelium oratio* dicebatur; atque inter mysteria Religionis erat, *Theodoret. epit. divin. dogm. cap.* 28.); & anniversariam deinceps baptismi celebrabant sollemnitatem, quod *Pascha annotinum* audiebat. *Chardonius Hist. sacram. Lib.* 1. *sect.* 1. *p.* 2. *cap.* 11. Ceterum

de

de ritibus post baptismum, vide Bona.

CAP. III.

De confirmatione.

§. 145. Sacramentum, quo baptizato robur additur, dicitur *confirmatio*, & *Chrisma*, h. e. *unctio*, & *manuum impositio*, & *signaculum Domini*. Materiam hujus sacramenti quidam manuum impositionem esse statuunt, quæ tantum memoratur *Act. cap.* 8. *v.* 17.; formam vero orationem, qua Sp. S. invocatur. Alii post S. Thomam materiam remotam esse putant oleum olivarum, & balsamum; proximam frontis unctionem; formam verba illa *signo te &c.*. Juveninus *Diss.* 3. *q.* 2. *c.* 3., aliique, materiam esse, ajunt, impositionem simul, & unctionem, ac formam alii solam orationem esse contendunt, alii verba illa *signo te &c.* Theologi hac de re magnis animis contendunt. Prior opinio placet Sirmondo, Haberto, aliisque; qui chrismatis unctionem Ecclesiæ auctoritate ad Sacramenti integritatem pertinere putant; non vero esse Apostolicæ institutionis. Nam Aposto-

ſtoli orantes, & manus imponentes Spiritum S. dederunt; & verba *ſigno te ſigno crucis &c* Patribus veteribus ignota fuere.

§. 147. Chriſmatis nomine in hoc ſacramento venit unguentum, quod Latini ex oleo, & balſamo conficiunt. Græci addunt 35 aromatum ſpecies, nec non vinum: etſi antiquitus ex ſolo oleo chriſma fuiſſe videatur, *Tertull. de bapt. c.* 8. Nonniſi Sæc. VII. chriſma quotannis feria quinta in cœna Domini conſecrari cœpit: & ſuppoſititia eſt Decretalis ſub Fabiani Pontificis nomine *can.* 18. *de conſecr. diſt.* 4. Apud Latinos unctio eſt tantum in fronte: non item apud Græcos. Quæ unctio cum ſub ſigno crucis fieret, dicitur *conſignatio*, *&* *ſignaculum Domini*. Fit etiam certa formula. At nullam veteres adhibuiſſe probat Morinus *de poenit. VIII.* 16.

§. 146. Miniſter ordinarius confirmationis eſt epiſcopus, uti ex Innoc. I. *ad Decent. cap.* 3. Gregorio M. *L.* 3. *ep. ad Januar.*, & Trident. *ſeſſ.* 7. *de confirm. can.* 3., diſputat adverſus hæreticos egregie Juvenin. *diſſ.* 3. *de confirm. q.* 5. *art.* 2. Ceterum epiſtola Euſebii P. in hanc ſenten-

ten-

tentiam apud Gratianum *dist.* 5. *de consecr. can.* 4., ποδίαν olet. Presbyter extra ordinem quandoque in Occidente confirmavit, sed non ante Gregorium *M. Lib.* 3. *ep.* 26. In Oriente adhuc extra ordinem confirmat. *Morin. de sacram. c.* 12. Hujus sacramenti effectus duo sunt, gratia, & character: quin etiam aliquando miraculorum donum; *Aug. de Bapt. III.* 16.

§. 147. Confirmantur tantum qui baptizati sunt. Ad Sec. XII. usque in utraque Ecclesia nonnisi jejunis jejunos confirmationem datam fuisse constat; *can.* 6. *de consecr. dist.* 5. Diu quoque baptismum proxime excepit confirmatio, *Tertull. de bapt. cap.* 7. *Syn. Laodic. can.* 48.: quod apud Græcos etiamnum in usu est, *Jac. Goar. not. ad Rituale*. Id apud Latinos desiit, quando adultorum baptismus rarescere cœpit.

§. 148. Confirmandi autem a Patrinis offeruntur: & quidem diversis ab iis, qui in Baptismo adhibentur: quando hæc sacramenta seorsim conferri cœperunt. Passim unus unum offert; nec permittit S. Carolus, ut mas feminam, aut femina marem offerat. Etiam in confirmatione oritur spiritualis cognatio inter confirmantem, & confirmatum, ejusque patrem, &

& matrem; ac porro inter offerentem, & oblatum, ejusque patrem, & matrem; quæ obstat nuptiis contrahendis, & dissolvit contractas, *Trid. sess. 26. de Ref. matrim. c. 2.* Post confirmationis ritus, episcopus confirmato alapam impingit (cujus rei nonnisi post IX. Sæc. mentio occurrit); pacemque impertitur. Olim ob reverentiam Chrismatis frontes confirmatorum *bandellis* circumligabantur; quas per septem dies ii gestabant: idque ad XII. Sæc. *Ordo Rom., & Hugo a S. Victore Lib. 2. de sacram. p. 7. c. 7.* Nunc bombyce frontes abstergentur. *Sambov de sacram. confirm.*

CAP. IV.

DE EUCHARISTIA.

§. 149. EUcharistia, seu *gratiarum actio* (sic dicta, quia hoc sacramentum Christus Deo gratias agens instituit), quæ & *communio* dicitur, quia & cum Christo fideles, & inter se se charitatis nexu copulantur, est signum sensibile corporis, & sanguinis Christi sub specebus panis, & vini.

§. 150. Materia hujus sacramenti est panis triticeus, & vinum de vite, *Eugen. in Decret.* Græci panem adhibent fermentatum; ac semper adhibuere, *Juvenin. art.* 4. §.4.: triticeum vero Latini; necnon Maronitæ, & Armeni, *Bona Rer. Liturg. c.* 23. Non levis questio est, an Latini semper azymum adhibuerint. Num Melchiades, ac Siricius Pontifices fermentum instituerunt? Id habet *Pontificale* Damasi; sed hic liber subleſtæ fidei est. Num Græci, ac Latini azymo usi fuerunt usque ad hæresim Ebionitarum (sc. ann. 74.), qui antiqua legalia simul cum Evangelio servanda esse existimantes, azymo uti cœperunt; ac Latini, Græcique fermentum instituerunt; donec Latini tantum, ea hæresi sublata, ad azymum redierint? Sed de hac re perpetuum per X. Sæc. apud Scriptores silentium. Sirmondus *Disq. de azymo* putat, azymo usam Latinam Ecclesiam fuisse inter annum 886, & 1053. Opponuntur Lupus, & Mabillonius, qui azymum vel ab initio Latinam Ecclesiam adhibuisse, statuunt. Tandem Bona rectissime demostrat, per VIII. Sæcula apud Latinos nullum fuisse inter azymum, & fermentatum discrimen.

Ce-

Ceterum & fermentatum, & azymum consecrari posse; propriæ tamen Ecclesiæ consuetudinem servandum esse, definivit Florentinum Concilium. Qui vero aliter facerent, rei essent violatæ disciplinæ, *Juvenin. de sacram. diss.* 4. *q.* 2. *c.* 1. *art.* 4. Michaëli Cerulario, Cpolitano Patriarchæ, existimanti, azymi apud Latinos consecrationem non valere, satisfecit Leo IX. epistola, & Cardinalis Humbertus Silvæ candidæ episcopus Dialogo, qui prostat *Tom.* 11. *Annal. Baron.* Post pacem Ecclesiæ partam panis in coronæ modum compactus fuit. De forma panis apud Græcos rotunda, aut quadrata, vide Allatium *L.* 3. *de consens. Oriental. & Occid. Eccl. cap.* 15. Porro vino, quo Christus ipse aliquantulum aquæ, qua denotatur fidelis populus, simul admisceri, vetus disciplina est, ex Apostolica traditione; *Cap.* 13. *de celebr. Miss. Eugen. IV. in Decret. Trid. sess.* 12. *c.* 7.

§. 151. Forma, qua consecratur panis, sunt verba; *Hoc est corpus meum*. Forma, qua Calix, *Hic est Calix sanguinis mei &c.* quibus verbis ipsemet Christus consecravit. Id habent Epiphanius, Greg. Nazianzenus, auctor operis *de sacramentis*

sub nomine Ambrosii, Chrysostomus, & alii. Alii falso putant, ad vim Eucharistiæ consecrationis non solum Christi verba, sed & preces ad transmutanda elementa esse necessaria, *August. Tuttèe*; *Petrus le Brun diss.* 10. *de Armenor. liturg. art.* 17. *q.* 2. Verba autem consecrationis olim in utraque Ecclesia elata voce dicta sunt. Hic ritus etiamnum obtinet in Ecclesia Orientali: defecit in Latina ab VIII. Sæc., uti ex Alcuino.

§. 152. Minister Eucharistiæ, qua sacrificium est, h.e. qui eam conficit, seu consecrat, Sacerdos est, *Trid. sess.* 22. *can.* 2.. Plures simul olim in Latina Ecclesia rem divinam faciebant. *Morin. de ss. ordin. p.* 3. *exerc.* 8. *cap.* 1. *Bona l.* 18. Minister Eucharistiæ, qua sacramentum est, dicitur etiam is, qui eam dispensat. Jure ordinario est solus episcopus, & sacerdos. Tridentinum *sess.* 24. *cap.* 13. *de ref.*, solos Episcopos, & Parochos ordinario jure sacramentorum administratores esse statuit. Hinc non omnes Presbyteri, sed *proprii* ordinarie dispensare Eucharistiam possunt. Et Religiosi, qui sine Parochorum venia *Clericis, aut laicis sacramentum Eucharistiæ mini-*

stra-

strare præsumserint, sunt ipso Jure excommunicati ex *Clementina* 2. *de privil.* At hoc Parochorum jus ad Paschalem communionem, & Viaticum restrictum est.

§. 153. Diaconi extra ordinem in utraque Ecclesia Eucharistiam dispensarunt: & in Latina ex necessitate, atque ex absentia, aut jussu Presbyteri, *Auct. Const. VIII.* 28. *Conc. Carth. IV. can.* 38.: in Græca etiamsi praesens esset Presbyter, & specialiter non juberet: idque iis licebat ex generali mandato, *Conc. Nic. I. can.* 18. Magis autem proprie Sanguinis Christi dispensatio ad Diaconos pertinebat. *Cyprian. lib. de lapsis* Antiquitus quandoque minores Clerici, ipsique Laici, deficientibus Presbyteris, ac Diaconis, si gravis urgeret causa, Eucharistiam dedere. *Euseb. Hist. VI.* 44. *Tertull. ad uxor. II.* 5. Quin laici in turbidis Ecclesiae rebus demum deferebant Eucharistiam, & sibi ipsi administrabant: quod etiam postea stetit, *Bona II.* 17.

§. 154. Qui usu careat rationis, jamdiu ex consuetudine Eucharistiam non accipiunt; *Trid. sess.* 21. *cap.* 4.: accipiebant autem in veteri Ecclesia vel ipsi infantes, *August. ep.* 23. *ad Bonifac.*, *&*

alibi, *Innocentius P. ad PP. Conc. Milev. ep.* 93. Vide Bona *Rer. liturg. II.* 19.. Per quatuor priora Eccl. Sæc. reis capite damnatis fuit denegata Euchariſtia (& vel ipſa ſacramentalis abſolutio). Itali tamen, ac Germani iis non denegant. *Juvenin. q. 6. c.* 4. Denegata etiam fuit energumenis. At S. Thomæ temporibus, ſi rationis compotes fierent, non ſecus atque amentes, ad communionem admiſſi fuere, *S. Thom.* 3. *p. q.* 80. *art.* 9. Tum pia quarumdam Eccleſiarum Africæ, Galliæ, Græciæ, ſimplicitate mortuis Euchariſtia, in primis poenitentibus, Euchariſtia tributa fuit: quod prohibitum fuit *can. 6. Conc. Carth. III. can.* 12. *Antiſſiodorenſis*, & *can.* 83. *Trullani*. Immo apud Graecos, Latinoſque uſus invaluit Euchariſtiæ cum mortuis ſepeliendæ; ſive ut conſuleretur quieti cadaverum extra Eccleſiam conditorum, ne ab immundis ſpiritibus vexata forent, *Balſamon. in d. can.* 83., *Gregor. M. Lib.* 2. *Dial.* 24.; ſive ut caſtus ritus opponeretur Gentium ſuperſtitioni, quæ defunctorum ori obolum Charonti impendendum ponebant.

§. 155.

§. 155. Sacramento, & sacrificio commune est, ut non communicent, nisi prorsus jejuni (excipe casum *infirmitatis, aut alterius necessitatis a Jure, vel Ecclesia* admissum, *Conc.Constantiens.sess.*13.): idque ex consuetudine; cujus quia origo latet, ab Apostolico præcepto deducenda est, secundum Augustini regulam *in ep.* 118. *ad Januar.* Neque obstat Christi factum. Multa enim Servator noster fecit ex temporum rationibus; *Cypr. ep.* 63. Quod si quidam Eremitæ olim pransi missam celebrarunt, *Bernard. de pass. Domini cap.*42., piæ simplicitatis erat. Tum si ex Conc. Carth. III. *can.* 29. placuit licere Feria 5. in Cœna Domini a non jejunis celebrari, id ad exemplum non trahendum, quia, relaxato Jure communi, *fortasse ob aliquas in iis locis occasiones Ecclesiæ utiles*, cautum fuit, uti Conc. Trull. VI. *can.* 29. Præmittenda etiam Eucharistiæ est animæ probatio: neque eam statim a confessione sumant, qui maxima admiserint peccata, *Juvenin. de sacram. diss.* 4. *q.* 8. *cap.* 1. *art.* 1. Eos etiam vetus Ecclesia inter consistentes in solis precibus sine oblatione communicare faciebat. Est autem Eucharistia

symbolum ecclesiasticæ unitatis; quam ideo olim Episcopi sibi mutuo mittebant, *Irenæus apud Euseb. Lib. V. cap. 24. N. Alex. Theol. Lib.2. tract. de Euchar.*

§.156. Qui Eucharistiam faciunt, eam sub duplici specie sumunt : alii sub sola specie panis. At sub utraque specie fideles omnes communicasse usque ad XII. Sæc.; ac veterem morem, qui in Oriente etiamnum viget, (accipiunt Orientales parvo cochleari panis consecrati particulas sanguine perfusas) post Sæc. XII. non ubique in Occidente defecisse, jam constat, *S. Thom. 3. p. q. 86. art. 12.* Nullum certe fuit de utraque specie divinum præceptum. Veteres Fideles panem solum intra domesticos parietes adservarunt, *Tertull. lib. 2. ad ux.* Vini quidem facilis erat corruptio. Panis particulae, quæ supererant, inter innocentes pueros dividebantur.

§. 157. Infirmi utplurimum sub sola panis specie communicabant : ideo panis tantum servabatur. Sin viaticum post Missam ad infirmos deferri oportebat, ii sub utraque specie communicarunt. S.Exuperius Tolosanus ep. *Corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem in vitro* ad in-

infirmos deferebat, uti tradit *Hieron. ad Rusticum*. Dicebatur autem *viaticum*, cujus vocabuli olim amplior notio fuit. Significabat enim quicquid morientibus in alteram vitam viam pandere posset, *Albaspin. Obs. I.* 1. Et in Conc. Nic. *can.* 13.; *si quis egreditur e corpore, ultimo, & maxime necessario viatico minime privetur*, ubi *Viaticum* absolutio est: nam animam agentibus Eucharistia non dabatur sine episcopi examine, uti in eodem canone legitur. Hodie viatici nomine solum Eucharistia venit.

§. 158. Quotidiana communio in aliliquibus saltem Occidentalibus Ecclesiis ad Sæc. V. stetit; quam se nec reprehendere, nec probare, ait Hieron. *ep.* 5. *ad Pammach.* At Sæc. VI. Concilium Agathense cavit, *Sæculares, qui in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste non communicaverint, inter Catholicos non haberi*. Tandem Concilium Lateranense, *in cap.* 12. *de pœn. & remiss.* (confirmatum a Tridentino *sess.* 13. *can.* 9. *de Euch.*), Eucharistiæ sacramentum *ad minus in Pascha*, fidelem suscipere, cavit: *alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.* §. 159.

§. 159. Communicaturi olim certis locis distinguebantur: & stantes quidem communicabant: quod tamen de Latinis non audet asserere Bona *II.* 17. §. 8. Euchariftiam manu in navis formam composita excipiebant; *Morin. de SS. ordin. par.* 2. *exercit.* 12. *c.* 3.: quod primum mulieribus vetitum *Sæc. VI.*, uti ex *can.* 36. *Conc.* Antissiodorensis in Gallia ann. 590. *V. Martene de antiq. Eccl. rit. l.* 4. *art.* 10. §. 13.

§. 160. Quod autem panis, & vinum in corpus, & sanguinem Christi convertuntur, quod *transsubstantiatio* dicitur (vocabulo jam recepto, sed olim inaudito), uti adversus Lutheranos, & Calvinianos Theologi ostendunt, Eucharistia ideo cultu, qui Deo debetur, est adoranda, *V. Jac. Boileau contra Dallæum*. Ex nova disciplina cultus sollemnior evasit. *Jo. Bapt. Thiersius de expositione Venerabilis.*

§. 161. Tandem variæ fuerunt pro varia temporum locorumque ratione liturgiæ, de quibus uberius Card. Bona, Jos. Binghamus, Edmundus Martene, aliique. *Missæ* nomen est a fidelium dimissionibus *Bona* I. 1. Apostoli Oratione Dominica, &

& formula consecrationis rem Divinam fecere; uti tradunt Gregorius M. *Lib.* 7. *ep.* 64., Walfridus Strabo, *de reb. Ecclesiast. c.*22., aliique. At *longo verborum ambitu* fecisse, ait Proclus Cpolitanus *de traditione Divinæ Liturgiæ*; idque cum nullus metus, aliave justa causa contrarium suaderet. Ita suspicatur Bona I. 5. In Occidente ortæ sunt Liturgiæ singularum Nationum, uti Gallicana, & Hispanica, quæ *Mozorabica* audit; quia Christiani in Hispania Arabibus mixti, *Mistarabes*, & corrupto vocabulo *Mozorabes* dicti fuere. Erat in Italia Liturgia Ambrosiana Mediolani, & Romana Romæ. Romanam tandem ecclesiæ omnes Occidentis sequutæ sunt.

§. 162. Insuper Missa *sollemnis* (quam *majorem* dicunt, *publicam*, *legitimam*, *generalem*, *collectam*, *synaxim*, quamque olim celebrare Monachis canones vetuere, *S. Greg. Lib.* 5. *ep.* 46. *Syn. Lateran. sub Calixto II. cap.* 17.) nonnisi statis diebus celebrabatur. Primis temporibus sola die Dominica mysteria sacra fiebant, 1. *ad Cor.* 16., *Justin. Martyr. apol.*2. Tum non eadem ubique fuit disciplina, *Aug. Epist.* 118. *ad Januar.* Missam autem *privatam*, seu

seu *solitariam* (qui fuit monachorum usus a Sæc. VIII., & quidem olim a Canonibus improbatus ; *Conc. Parif. VI. Lib.* 1. *cap.* 48.) quotidie celebrare licuit , *Conc. Ticinense ann.* 886. *cap.* 2. Quin uno die pluries a sacerdote res Divina fiebat , *Regino Lib.* 1. *de eccl. disciplina cap.* 33. *Valfrid. de reb. Eccl. cap.* 21. *Martene Lib.* 1. *cap.* 3. *art.* 3. *Missa* autem *catechumenorum* dicebantur preces ante oblationem , *Vicecomes de Missæ ritibus* : eaque finita, fideles ad altare oblationes faciebant, etiam nummorum, quod testatur Honorius Augustodunensis *in Gemma animæ cap.* 58., scriptor Sæculi XII.. Sed turpe erat sacerdotibus, oblatam pecuniam vertere in proprium usum , *Petr. Damian. Lib.* 5. *ep.* 13. Postmodum ex ea originem habuit Missæ honorarium . *Espen. part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 5. *& seq. Thomass. par.* 3. I. 71.

§. 163. Antiquitus noctu , post cœnam sacra mysteria peracta , & ad persequutiones vitandas, & ad Christi imitationem. Agapas quoque sequebatur Eucharistia . Erant *agapæ* fidelium convivia ob charitatem, *Tertull. Apol. c.* 39. *Suicerus Thesaur. Eccl.*, quas postea in ebrie-

ebrietates versas Canones prohibuere, *Conc. Laodic. can.* 28. *Trull. can.* 74., *Carth. III. can.* 30. Post pacem Ecclesiæ datam diurnæ Missæ invaluerunt: & in publicis etiam Templis. Tum longe lateque diffusa Religione, Linguarum Hebraicæ, Græcæ, Latinæque usum Ecclesia in sacris retinuit; sive ut major iis accederet veneratio; sive ne sententiis, ob frequentem in vulgarium linguarum immutationem, immineret periculum. Et licet vulgari, & cujusque Gentis propria lingua veteres liturgiæ celebratæ fuerunt, *Origenes contra Celsum*, *Lib.* 8. *Cassiodor. in Psalm.* 44., Sæc. tamen XI. id videtur prohibuisse Gregorius VII.: quod observat Fleurius *Hist. Eccles. Lib.* 63. *n.* 8. Et idem Auctor *Hist. Eccl. disc.* 3. *n.* 24. Religionem magis æstimari, si intelligatur, & sententias in novas linguas integre transferri posse, scribit.

§. 164. Postremo observandum est, fideles teneri festis, ac dominicis diebus Missæ interesse; & quidem publicæ in propria parœcia, ut pastori adhæreant suo, unoque ore, & spiritu Deum precentur; & parochus pro grege sibi commissa sacrificium offerat, *Conc. Nannat. can.* 5.

Quæ

Quæ obligatio post Sæc. XIII. laxata est; præcipue quia Mendicantes docuere, eam obligationem ex eorum privilegiis ferme fuisse solutam. Ceterum Tridentinum *sess.* 22. *in decr. de celebr. Miss.* fideles docet, *ut frequenter ad suas parochias saltem dominicis, & majoribus festis* accedant.

CAP. V.

DE POENITENTIA.

§. 165. POenitentia est Sacramentum, quo lapsis post Baptismum, contritis, confessis, & satisfacere proponentibus, absolutio a peccatis impenditur. Dicitur etiam *Confessio*, *manuum impositio*, uti in *can.* 76. *Carth. IV.*, *& manuum impositio reconciliatoria*, uti in *can.* 3. *Arausicani I.* Græcis Μετάνοια, & Ἐξομολόγησις.

§. 166. Hujus sacramenti *quasi materia* sunt contritio, confesio, satisfactio. *Trid. sess.* 14. *cap.* 3., *& seqq.* Ita post S. Thomam doctiores. Scotistæ tres illi poenitentis actus conditiones esse, essentiam sacramenti in sola absolutione positam esse autumant. Contri-

tritio ab attritione differt. At dolor ex mero gehennæ metu sine Dei amore conceptus, ad hominis justificationem haud prodest. *Drovven. de re sacram. Lib. 6. q. 4. cap. 4.* Sine confessione auctoritas clavium concipi nequit. *S. Thom. suppl. quæst. 6. art. 6.* Ita & veteres Patres docent, *N. Alex. diss. 14. in Sæc. 14. & 13. Hist. Eccl.* Tandem ad omnimodam peccatorum expiationem pœnitentia requiritur, *Trid. sess. 14. cap. 8.* Exinde Patres pœnitentiam *laboriosum baptisma* dixerunt, *Juvenin. de sacram diss. 6. q. 6. cap. 1.*

§. 167. Confessionis publice editæ multa olim exempla: at ejus nulla necessitas imposita est, *S. Leo ep. 136.* Sedentes olim pœnitentes peccata confitebantur, uti ex Ordine Romano, & Alcuino. Ita etiamnum apud Græcos, *Allatius de cons. Eccles. Occid. , & Orient. III. 9.* Tum Sæc. XIII. Monachorum genuflectere mos fuit. *Morin. de administrat. Pœnit.* Satisfactio est pœna, quam pœnitens subit *pro arbitrio sacerdotis, Trident. can. 9.* Hæc *pœnitentia* dicitur. Estque aut privata, quæ clam peragitur, aut publica, quæ palam, & in facie, uti dicitur, Ecclesiæ.

§. 168.

§. 168. Peccata venialia, seu *infirmitatis*, *aut imperitiæ*, *August. quæst. Lib.* 83. *q.* 26., nunquam publicis pœnitentiis expiari opus fuit: eaque *oratione quotidiana*, *& privata compunctione* curari, Patres docent, *S. August. lib. de Symbolo ad Catechum. sub finem*, *S. Cæsarius Episcop. Arelat. Hom.* 1. *in Quadrages.* At publicæ pœnitentiæ subiiciebantur peccata mortalia; non tamen omnia, quemadmodum quibusdam visum ob quædam S. Augustini loca; sed graviora, quæ Principum leges capitali pœna vindicabant, quod docet N. Alex. *q.* 1. *art.* 1. *prop. unic.* Et quidem gravibus peccatis publicis publica imponebatur pœnitentia, 1. *ad Timoth.* 5. *Trident. sess.* 24. *c.* 8. *de ref. Morin. VII.* 4.: & quidem publica a solo episcopo, & publice ante absidem fiebat reconciliatio a solo episcopo. Occulta vero crimina etiam publicis pœnitentiis punita, *Morin. V.* 9. *&* 11. *N. Alex. in Sæc. III. diss.* 6. *q.* 2. *art.* 1. *propos.* 2.; sed clam a Presbytero; reisque, si agere pœnitentiam detrectarent, sola reconciliatio clam denegabatur, non denegabantur publice sacramenta; & reconciliatio clam a Presbytero fiebat; *Can.* 32. *Conc. Carth. III. apud Gra-*

Gratian. can. 14. *cauf.* 26. *q.* 6. & *can.* 5. *q.* 7. Sed & olim qui gravibus carebant peccatis, publicis pœnitentiis se se ultro subjiciebant.

§. 169. At quidam atrociorum scelerum rei publicam pœnitentiam haud subibant; quales adolescentes *propter ætatis fragilitatem*; *Conc. Agath.* 1. *can.* 15.; mulieres adulteræ, *Basil. ad Amphiloch. can.* 24.; majores Clerici, *Conc. Carth. V. can.* 2.: hi enim ob crimina ab officio suo dejecti, clam in monasterio pœnitentiam agebant; nisi sponte publicam elegissent, *Conc. Arausic.* 1. *can.* 4. *Juvenin. de sacram. diss.* 6. *q.* 6. *cap.* 8. *art.* 1.

§. 170. Hæc vetustissima disciplina, qua occulta peccata publice pœnis plectebantur, apud Græcos usque ad Nectarium Patriarch. CPolitanum, IV. exeunte Sæculo, servata est: tum mutata fuit occasione cujusdam matronæ, quæ pœnitentiam agens in Ecclesia a Diacono constuprata fuit. Sed postea Græci etiam secundum Canones pœnitentiales pœnitentias imposuerunt: & solum quod publicum erat, occultum evasit, *Morin. de pœnit. VI.* 22. Tum postquam Theodorus monachus Græcus Romam venit, & a Vitaliano Ponti-

R fi-

fice anno 668. episcopus Cantuariensis creatus est, ea vetus disciplina defecit etiam apud Latinos Sæc. VIII. Exinde regula, *de peccatis publicis publice*, *de occultis occulte pœnitendum*, *cap.* 1. *de pœnit.*, & *remiss.* Ceterum pœnalia opera a Canonibus Pœnitentialibus præscripta retinuit Ecclesia: & recepta hac doctrina, nihil quidquam deminutum de canonicis pœnitentiis: & solum quod antea palam fiebat, clam peragi cœpit. At sæc. XII. canonicæ pœnitentiæ apud Latinos pluribus ex causis desuevere, uti mox. *Murator. diss.* 68. *Antiqu. Italic.*; *Fleurius disc. Hist. VI.*

§. 171. Jam vero publica pœnitentia nullis certis definitis spatiis, ac sollemnibus olim peracta. At Sæc. III. Ecclesia, ut occurreret Novatianorum hæresi, existimantium, nullam esse in Ecclesia potestatem dimittendi peccata post baptismum patrata, quatuor pœnitentium stationes, sive gradus constituit, *Bingh. Orig. XVIII*, 1. Hi sunt, *Fletus*, *Auditio*, *Substratio*, *Consistentia*; q. i. postremus gradus dicebatur quoque *Segregatio*, *Separatio*, & *Excommunicatio*, sc. Eucharistiæ tantum privatio; quam subibant laici

ci ob leve quoque peccatum. At Clerici ſegregatio in Canonibus ſuſpenſio eſt, quæ grave crimen ſupponit. Stationum autem tempora ab arbitrio pendebant epiſcoporum. Pœnitentiæ tempore multa erant edenda doloris ſigna; atque ab ipſo matrimonii uſu recedendum erat. Quo factum, ut conjugi pœnitentia, altero invito, imponi non poſſet, *Conc. Arelat. II. can.* 21. & 22. *Ambroſ. de pœn. II.* 10. Et poſt Sæc. VI. Feria quarta ante Dominicam primam quadrageſimæ, datæ publicæ pœnitentiæ; qui *dies cinerum* dictus fuit a cineribus in capita pœnitentium ſpargi ſolitis; *can.* 64. *diſt.* 50. Imponebatur autem pœnitentia ſive publica, ſive privata, per manuum impoſitionem. *Conc. Agath. can.* 15.; & publicæ pœnitentiæ externus ritus *exomologeſis* vocabulo a Patribus Græcis, & Latinis dictus eſt. *Albaſpin. Obſ. II.* 26.

§. 172. Etſi autem Sæc. XII. in Eccleſia Latina pœnitentiæ Canonicæ diverſimode commutatæ fuerint, *Morin.* X. 16. & 25., & Pœnitentialium Canonum ſeveritas defecerit (cum antea ex Synodorum, & Patrum regulis collecti fuerint *Libri Pœnitentiales*, ut ex eorum aucto-

ritate, non pro arbitrio, sacerdotes poenitentias imponerent, *Reginon. Lib. I. cap.* 98.); adhuc tamen idem est Ecclesiæ finis, *Trid. sess.* 14. *cap.* 8. Et licet sollemnes pœnitentiæ ritus desuevere, non est tamen remissa publica pro peccatis publicis pœnitentia, nisi justa ex causa, *cap.* 1. *de pœnit.*, *&* *remiss.*, *Trid. sess.* 24. *cap.* 8. Publica autem pœnitentia Scholasticis alia *publica* proprie sic dicta, quæ sine ulla sollemnitate palam fit; alia *sollemnis*, quæ ab episcopo die cinerum ex forma Conc. Agathensis imponitur: *can.* 64. *dist.* 50. Nimirum, desuetis publicæ pœnitentiæ sollemnibus, Scholastici sollemni pœnitentiæ dederunt, quæ olim publicæ conveniebant.

§. 173. Forma est *Ego te absolvo &c. Trid. cap.* 3. *&* 6. Deprecativa ea est apud Græcos, *Morin. VIII.* 12.; uti & olim fuit alicubi in Occidente. Olim sacramentalis absolutio dabatur, ubi pœnitentes a Substratis ad Consistentes transibant. *Morin. VI.* 21., nisi justa causa aliud suaderet, *N. Alex. diss.* 9. *in Sæc. III.*

§. 174. Jam vero Ecclesia potestatem habet omnium peccatorum dimittendorum, uti

uti ex *Joh.* 20. *v.* 23. contra Montanistas, & Novationos definitum est. Paulus Ap. 2. *ad Cor. II.* 10. incestuoso, & Joh. Evangelista *apud Euseb. Hist. III.* 17. homicidæ pacem dedit. *Const. Apost. cap.* 23. Quod si nunquam venia conceditur peccato in Spiritum S., *Matth. XII.* 31., sc. animi obstinationi in aliquo crimine usque ad vitæ exitum, id locum habet, quia deficit apta recipiendæ veniæ conditio. *Bingh. XVI.* 7. §. 3.

§. 175. Verum enimvero severiori Sæc. II. disciplina gravissimorum criminum reis venia in ipso vitæ fine denegata fuit (*V. Albaspinæum, & Sirmondum;* quanquam de Eucharistia denegata id accipiat N. Alex. in *Sæc. III. diss.* 7. *art. unic. prop.* 3.): necnon iis, qui nonnisi in vitæ fine pœnitentiam petebant: & qui in peccata jam publica pœnitentia expiata relaberentur: tum ultimo supplicio damnatis; & episcopis, qui ambitione ducti ab una ad alteram ecclesiam transibant; *Conc. Sard. can.* 1. & 2. Si vero Martyres libellis apud Episcopos pro lapsis intercedebant, aliquid de severitate Canonum remittebatur. Qui vero in eadem scelera relapsi erant, iis privatam absolutionem

impertitam fuisse, privatamque, sed gravissimam pœnitentiam, multi putant. Non sic Albaspinæus 2. *Obs.* 6, Morinus *V.* 29., & Petavius *in Epiphan. hær.* 59. Illud tandem prætereundum non est, olim absolutionem post satisfactionem datam esse: *Morin. IX.* 14., *& VI.* 24.

§. 176. Minister hujus sacramenti est episcopus, aut presbyter, *Trid. sess.* 14. *c.* 6. Confessiones laicis factæ ante S. Thomæ tempora, *can.* 1. *dist.* 6. *de pæn. can.* 36. *dist.* 4 *de consecr.*, non erant sacramentales. *S. Thom. in* 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. Episcopi profecto pœnitentiæ, sicuti & omnium sacramentorum, primarii ministri sunt: & olim iis reservata erat publicæ pœnitentiæ administratio ob publica crimina, *Conc. Carth. II. can.* 3. Presbyteri pœnitentiam administrant, quales Pœnitentiarii generales, tanquam episcopi Vicarii in pœnitentiæ negotio, *Trid. sess.* 24. *de ref. c.* 8., tum et parochi, *Espen. par.* 2. *tit.* 6. *c.* 6. Soli episcopi Jure Divino dant ex Tridentino *sess.* 23. *de Ref. c.* 15. potestatem excipiendi confessionem. Quoniam autem ex Lateranensi, relato in *cap. omnis utriusque sexus* 12. *X. de pœnit.*, *& remiss.*, requirebatur, ut ad satis-

fa-

faciendum Paschali præcepto quis peccata sua *proprio sacerdoti* confiteretur; hinc etiam permissum fuit *in cit. cap.* 12., ut si quis *alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata*, *licentiam prius* postularet a proprio sacerdote, h. e. parrocho, qui poterat eidem veniam conferre, ut aliis sacerdotibus ab Ordinario adprobatis conscientiam suam possent aperire. Mendicantes diu sola Pontificii auctoritate pœnitentiam administrarunt; ex privilegio Gregorii IX., *Espen. cap.* 5. *d. loc.*; quod sustulit Tridentinum *d. loc.* Tum ex optima veteri disciplina proprio quisque sacerdoti peccata confitebatur, vel ex hujus venia alteri Sacerdoti, *cap. ult. X. eod.* Denique episcopi in suis diœcesibus, etiam olim, quædam atrociora crimina sibi reservare consueverunt. Et post Sæc.X. Pontificiæ quoque reservationes invaluere. *Espen. d. loc. c.* 7.

§. 177. Si ergo jus ligandi, & solvendi solis sacerdotibus à Christo datum est, *Matth.* 16. 19., cur Cyprianus *ep.* 13. *ad Presbyteros, & Diaconos Ecclesiæ Carthagin*, lapsis in vitæ periculo versantibus, Episcopo, & Presbytero absentibus, *apud Diaconum exomologesim facere*

delicti sui permisit ? nimirum non loquitur de sacramentali absolutione, sed de ceremoniali, quæ pœnitentem absolvit legibus publicæ pœnitentiæ; quæque cum sit jurisdictionis, poterat Diacono demandari. *N. Alex. in Sæc. III. diss.* 4.

§. 178. Pauca de indulgentiis subteximus. Fidei dogma est, Ecclesiam Jure Divino habere indulgentiarum concedendarum potestatem, quam jus ligandi, & solvendi complectitur, *Trid. sess.* 25. *de indulg.* Eæ autem sunt non peccatorum remissio, quam absolutio præbet, sed pœnarum temporalium. Ex nova disciplina *partiales*, quæ dicuntur, concedunt episcopi in suis diœcesibus: & summus Pontifex etiam plenarias, *Juvenin. de sacram. diss.*13. *q.*3. *cap.* 1.: idque tamen exemplo veterum Patrum, qui indulgentias pro doloris intensitate præcipue concedebant, *Trid. d. loc. Chrysostom. hom.* 14. *in* 2. *ad Cor. Conc. Nicæn. can.* 12. *Ancyr. can.* 5. *Morin. de pœn., VI.* 19.

§. 179. Post Sæc. XII. alias ob causas indulgentiæ concedi cœperunt: uti ob visitationem Ecclesiarum, & altarium: ac dictæ *stationariæ* (uti illa *Jubilæi*. *Espen. p.* 2. *tit.* 7. *cap.* 4.): ob militiam contra

tra hæreticos, ethnicoſque; ob pecuniæ erogationem cauſa Eccleſiarum, viarumve conſtruendarum. Hinc *Quæſtores eleemoſynarii*, *Clement.* 2. *de pœnit.* & *remiſſ.*; ſed ſublati à Tridentino *ſeſſ.* 21. *de Ref. cap.* 9. Vera autem pœnitentia ſemper adſit, oportet.

CAP. VI.

DE EXTREMA UNCTIONE.

§. 180. Hoc ſacramentum, quod & *oleum* dicitur, eſt, quo & gratia confertur, & delicta, eorumque reliquiæ abſtergentur, & infirmi levantur. Ex Jacobi Apoſtoli *ep. canon. c.* 5. loco; *Infirmatur quis ex vobis, inducat Preſbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus; & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*, tradit Tridentinum *ſeſſ.* 14. *de ſacram. extrem. unct. cap.* 1., ejus materiam, formam, ac miniſtrum.

§. 181. Materia eſt merum oleum olivarum (quod etiam exprimere videtur Innocentius I. *in ep. ad Decent.*, cum ait *oleum*

oleum Chrismatis), benedictum ab episcopo apud Latinos, & Feria V. in cœna Domini: apud Græcos vero a presbyteteris prout se se offert occasio. *Arcudius Lib.* 5. *de extrem. unct. Goar. in Rituale Græcorum*. Benedictio isthæc Ecclesiæ auctoritate addita est; & quidem ex veteri disciplina. *Greg. M. in sacram.* Proxima materia est ipsamet unctio. Varia de partibus corporis ungendis fuit Ecclesiæ disciplina; quia Jacobus nihil quidquam edixit. Antiquitus solummodo pectus unctum videtur, *Mabill. præf. ad Sæc. I. Benedict. n.* 97. Tum post tempora Gregorii, h. e. sub exitum Sæculi VI., *uti Joh. Lanojus de sacram. unction. infirm. cap.* 2. *obs.* 2. plures partes; illamque alicubi, quæ morbo laborabat. At hodiernam Ecclesiæ Romanæ disciplinam habes ex Rituali Pauli V.: Orientalis Ecclesiæ ex Arcudio *V.* 7.

§. 182. Apostolus Jacobus orationis formam non expressit. Varia idcirco in Ecclesiis fuit. In Latina jamdiu deprecativa formula obtinuit, *Trid. sess.* 14. *de extr. unct. c.*1.: uti & apud Græcos. *Arcud. V.* 5.

§. 183. Minister hujus sacramenti Divi-

vino Jure est episcopus, aut presbyter. *Presbyteri* vocabulo apud Apostolum episcopos, & presbyteros venire, docet Innocentius *I. ep. ad Decent. c.* 8. Quamquam vero valet hoc sacramentum a quocumque presbytero collatum, illud tamen conferre soli Parocho licet, qui ordinarius ejus minister est; vel ei sacerdoti, cui Parochus hoc officium mandavit, *Clement. I. de privileg.* Ex necessitate autem id licere cuicumque sacerdoti, tradit S. Carolus *in Conc. Mediolan. V. p.* 1. *tit.* 11. Quoniam vero plurali numero usus est S. Jacobus, apud Græcos, & olim quoque apud Latinos, plures sacerdotes ad infirmum accedunt, *Artud. V.* 3. Nunc in Occidentali Ecclesia unus, *cap. quæsivit de V. S.* Sæpenumero in Sacris Libris vice singularis pluralem numerum occurrere, probat Augustinus *De cons. Evangelist. III.* 16.

§. 184. Infirmis, sc: iis, *de quorum morte timetur*, uti Eugenius IV. *In Decret.*, hoc sacramentum datur, *Trid. sess.* 14. *c.* 3.: olim etiam in levibus morbis, *Sambou. de extrem. unct. disp.* 8. *art.* 1. Circa Sæc. XIII. in extremis angustiis dabatur: vulgo enim existimabant,

ea

eo ſuſcepto, ſpem ſalutis imminui, condi teſtamentum non poſſe, non licere carnes comedere, nec uxore uti, *Mabillon. in Sæc. I. Benedict. n.* 100. Græci de infirmitate animi etiam verbum illud *infirmatur*, jam accepere, *Leo Allatius de Eccleſiæ Orient. & Occid. perpetua conſenſione III.* 16. *Goar. not. ad officium S. Olei:* eorumque praxim non improbavit Innocentius IV. *ep. ad epiſc. Tuſcul.*

§. 185. Hoc Sacramentum ſequi debet abſolutionem, *Conc. Mogunt. cap.* 26. *S. Carol. Act. p.* 4. *Inſtruct. de extrem. unct.* S. Patribus eſt veluti Pœnitentiæ *complementum*: atque ægroti aliquando cinere ſignati, & cilicio induti *Menardus p.* 337. *N. Alex. Theol. Lib.* 2. *de extrem. unct. c.* 2. At non ſequebatur Euchariſtiam uſque ad Sæc. XIII., uti nunc ſequitur, *Rituale Romanum Pauli V.*. Vide Lawnojum, & Grancolaſium. Fortaſſe *extremæ* unctionis nomen, a Scholaſticis Sæc. XIII. procuſum, novæ diſciplinæ cauſa fuit, *Mabill. d. Præfat. n.* 98. *Eſpen. p.* 2. *tit.* 8. *cap.* 2.

CAP.

CAP. VII.

DE ORDINE.

§.186. ORdo est sacramentum, quo spiritualis potestas confertur ad ea obeunda, quæ vel ad conficiendam, vel ad distribuendam Eucharistiam pertinent. Ordines septem sunt; Ostiariatus, Exorcistatus, Lectoratus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Sacerdotium. Eorum institutionem, & quicquid ejus rei est, quoad sacramentum, & sacrificium, in prima harum Partitionum parte, & præcipue cap. 10. explicuimus: eaque denuo heic recensere, nec vacat, nec lubet.

CAP. VIII.

DE MATRIMONIO.

§.187. MAtrimonium est maris, & feminæ conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. Definitio hæc est Romani Juris, & a Canonibus quoque tradita, *cap.* 11. *de præsumpt.* Addit Eugenius IV. hoc, quod ra-

rationem explicat sacramenti; nimirum *significans conjunctionem Christi, & Ecclesiæ*: quo sensu Apostolus *magnum* hoc *sacramentum* dixit, *ad Ephes. V.* 35. . Tum sub signo sensibili gratiam effundit. Profecto uti contractus, Principum subest legibus; uti sacramentum vero Ecclesiæ Canonibus: utriusque potestatis est nuptiarum impedimenta statuere. *Sanchez. de Matrim. tit. 7. diss.* 3. *S. Thom. contra Gent. IV.* 78. *Launojus*, & *Gerbesius*. At a Sæc. XII. Christiani Principes cœpere curam abjicere *dirimentium* impedimentorum. Matrimonium autem *legitimum* dicunt, quod non in fide Christi, sed secundum Gentium leges fit; uti matrimonia infidelium; *ratum* a fidelibus factum ex Christianæ Religionis præceptis, nondum tamen exequutum per corporum conjunctionem; & *consummatum*, si corporum usus accedat,

§. 188. Nuptiæ, utpote individua societas ob mutuum præsidium, sobolemque procreandam, atque educandam, consensu fiunt; ait Ulp. *L.*3. *de R. J.*, & Innocentius *cap.* 23. *de sponsal.* Consensus autem seu verbis, seu, si quis mutus, surdusve fit, aliis signis expressus,

sc.

sc. ipse civilis contractus; est ex receptiore sententia, materia hujus sacramenti.

§. 189. Minister vero a Cano, Estio, N. Alexandro, Droweno, aliisque doctis viris, probatur esse solus sacerdos; & forma ejus verba; quia per sacerdotalem benedictionem sanctificantem gratiam produci Patres docent. *Ambros. ep.* 70. *Chrysost. hom.* 48. *in Genes. Trid. sess.* 24. *c.* 1. Sacerdos hic est Parochus, non originis, sed domicilii, aut quivis sacerdos, cui ab episcopo, vel parocho facultas datur, *Trid. d. loc. cap.* 3. Scholasticos, qui ipsos contrahentes ministros, materiam, & formam esse putant, transversos egit regula utriusque Juris, matrimonium consensu perfici. Verum contractus consensu perficitur, sacramentum hierologia.

§. 190. Præter conjugum consensum, etiam per speciale mandatum, *cap. ult. de procurat. in VI*, requiritur consensus parentum. Id ex Jure Romano, & Canonico. *Juvenin. de sacram. diss.* 10. *q.* 5. *c.* 3. *art.* 1. *Muscettula*, & *Mazochius.* Sed de hac re in nostris Juris Regni libris repetitæ prælectionis. Error consensui obstat: ac si circa personam sit, nullæ sunt nuptiæ; si circa qualitatem, valent con-

contractæ nuptiæ; nisi error qualitatis redundet in personam, *S. Thom. in IV. sent. dist.* 30. *q.* 1. *art.* 2. Obstat vis, metusque gravis, *cap.* 28. *de sponsal.*, nullo jure illatus. *Gonzalez in cap.* 5. *de sponsal.*

§. 191. Matrimonia sollemni ritu contrahenda sunt. Ita sollemniter apud Gentes fiebant. Ecclesiæ suos ritus addidit, ut nuptiæ sacræ fierent; præcipue per hierologiam, seu sacerdotalem benedictionem: qui ritus a primis Sæculis obtinuit; *Bingh.O.E. XXII.* 4. *Jac. Gothof. in L.* 3. *C. Th. de nuptiis*; & uti aliæ benedictiones, ista per manuum impositionem facta videtur, *Clem. Alex. pædag. III.* 11. Quæ Christiana nuptiarum benedictio postmodum in legem civilem quoque abiit, ut legitima dici possent matrimonia. Ita in Oriente Leo Sapiens *Nov* 89.; & in Occidente Carolus M. *Capitul. VII.* 363.

§. 192. Consensus autem, qui modo, quo dictum est, sollemnis & legitimus esse debet, coram Ecclesia, alicubi clam sine hierologia edi inter sponsos, & valida, licet illicita hujuscemodi matrimonia clandestina maximo publico, & Ecclesiæ malo haberi cœperunt, *cap.* 1. *X. de*

de clandest. desponf. cap. 30. *x. de sponsal.*: idque ex male intellecta regula illa, nuptias consensu fieri. *Florens in Grat. caus.* 30. *quæst.* 5. At ea matrimonia prorsus irrita sunt, *Trid. sess.* 24. *de ref. matrim. cap.* 1. Et contrahenda sunt coram parocho, seu alio sacerdote, ex Ordinarii, vel parochi venia, ac duobus, tribusve testibus. Parochus vero, uti diximus, is est, in cujus parœcia contrahentes morantur: qui si diversarum sint parœciarum, sive viri, sive mulieris parochus minister erit: etsi alicubi mulieris parochus nuptias celebrare soleat.

§. 193. Matrimonii impedimenta *impedientia*, quæ vocant, impediunt, ne fiat; sed factum non dirimunt: *dirimentia* & impediunt, & dirimunt. Impedientia his versibus claudere nonnullis placuit,

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Atque Catechismus, sponsalia, jungito votum:
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

§. 194. Impediens aliquando fuit publica pœnitentia, & spiritualis cognatio inter patrinum *catechismi*, & eam, quæ baptizanda

ab eo offerebatur, *cap.* 5. *de cogn. spirit.* & *c.2. eod. in VI.*: licet de hac re silent vetustiores Canones. Et apocrypha est epistola Hygini P. apud Gratianum *can.* 100. *de consecr. dist.* 4. Ea autem cognatio sublata videtur a Tridentino *sess.* 24. *de Ref. cap.* 2.; quia omissa inter expressa impedimenta,

§. 195. At præter doctrinæ Christianæ ignorantiam, *Benedict. XIV. Bull. etsi minime* 42. §. 11. *tom.* 1. *Bull.*; & præter hæresim; itaut non liceat Catholicis cum hæreticis nuptias inire; initæ vero sustineantur; quatuor hodie referuntur impedientia impedimenta. Primum *Ecclesiæ vetitum*, h. e. interdictum Judicis ecclesiastici, ne nuptiæ, saltem ad tempus, inter certas personas contrahantur. *tit. Decretal. de matrim. contract. contr. interdict.* Secundum *tempus feriatum*, seu *clausum*; uti erat olim publicæ pœnitentiæ tempus, ac quadragesimæ, atque alia, quæ Tridentinum *sess.* 24. *de Ref. c.* 10. contraxit. Possunt autem & his temporibus contrahi nuptiæ privatim sine pompa, *Sanchez de matrim. Lib.* 7. *disp.* 71. Tertium *votum simplex* castitatis, aut sacri ordinis, aut monachismi suscipiendi; ni-

nimirum votum emissum extra professionem Religionis adprobatæ, *cap. unic. de voto, & voti redemt. in VI.* Quartum sunt *sponsalia de futuro* cum alio contracta.

§. 196. Profectò sponsus fidem præstare tenetur. Et natura dictat, pacta servanda, & Gregorius IX. præcipit *cap.* 31. *de sponsal.* At sponsalia *de præsenti*, seu matrimonium, non impediunt solum novas nuptias, sed etiam dirimunt, *d. loc.* Hæc sponsalia respuit Hotomanus *disp. de sponsal. cap.* 7. Verum sic appellari solent ratione corporum conjunctionis; neque ea ignorasse veteres Romanos, docet Huberus *Obs. II.* 8.

§. 197. Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio alteri facta, *cap.* 32. *de sponsal. can.* 3. *caus.* 30. *q.* 5. Ea & Romanis in more posita, *L.* 1. & 2. *ff. de sponsal.*, & Christianis, *Conc. Forojuliens.*, *cap.* 8., mutuo consensu perficiuntur, *cap.* 14. *de desp. imp.* (uti post veterum stipulationes etiam Jure Romano invaluit, *L.* 4. & 7. *ff. eod.*); sed publice apud Parochum. Impuberes post septem annos, recte ea celebrant, *L.* 14. *de sponsal. cap.* 4. & 13. *eod.*, & *cap. un. eod. in VI.*: & pa-

rentes pro filiis, si horum vel tacitus consensus adsit, *d. cap. un. §. ult. eod. L.* 14. *ff. eod.*

§. 198. At præter nudum consensum jam sponsalia quibusdam sollemnibus confirmari consueverunt; sc. benedictione sacerdotali, testibus, instrumentis, donationibus sponsalitiis; quæ & *arrhæ*, & *pignora* dicuntur, uti erat annulus pronubus; qui a sponso dabatur ad indicandam domus custodiam sponsæ commissam. Confirmata quoque sponsalia per osculum; cujus usus in nuptiis apud ethnicos erat, *Tertull. de veland. virginib. cap.* 11.: tum aqud Christianos, quibus nihil osculo sanctius, *L.* 5. *C. Th. de sponsal.* Sed etiamnum est apud Græcos: desuevit in Occidente osculum sponsalitium. *Mazoch. in can.* 54. *Illiberit.* Nos peculiarem *de osculo* Dissertationem mox prelo trademus.

§. 199. Dissolvuntur sponsalia præcipue per mutuum consensum *cap.* 2. *de sponsal.*, per longam alterutrius absentiam, *cap.* 5.; per ingressum in Religionem, *cap.* 16.; per fornicationem alterutrius cum alio, aliave, in gratiam ejus ex sponsis, qui innocens est, *cap.* 25. *de jurejur.*; per maximam constantemque alterutrius de-

deformitatem, quæ supervenit; *d. cap.* 15.; per sponsalia de præsenti cum alia deinde contracta; *c.* 31. *eod.*; per sacri ordinis susceptionem, *cap. unic. de voto, & voti redempt. in VI.*; & per simplex castitatis votum, quod præcessit, *cap.* 6. *X qui clerici, vel vovent. &c.*

§. 200. Post sponsalia *proclamationes*, seu banna fiunt a parochis utriusque contrahentis propriis, *Trid. sess.* 24. *de ref. c.* 1., ut pateat, si quod latet legitimum matrimonii impedimentum, *Conc. Later. in cap.* 3. *de clandest. despons.* Proclamationum morem in Ecclesia vetustissimum esse, præ ceteris perbelle adstruit *Juvenin. diss.* 10. *de matrim. q.* 5. *c.* 2.; tum ob Tertulliani locum *Lib.* 2. *ad uxor.*, ubi *Matrimonium Angeli renuntiant*; tum aliis argumentis.

§. 201. *Dirimentia* impedimenta vel ob defectum consensus Matrimonium dissociat, sc. *error*, *conditio servilis*, *metus*, & *raptus*; vel ob naturæ imbecillitatem, *impotentia perpetua coeundi*; vel ob sanguinis pudorem, sc. *cognatio*, *adfinitas*, & *publica honestas*; vel tandem ob Religionis sanctitatem, sc. *votum sollemne*, *ordo sacer*, *cultus disparitas*, *ligamen*, *clan-*

destinitas, & *crimen*. Isthæc impedimenta hisce memoriæ causa clauduntur versibus;

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis adfinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplicis desit præsentia testis,
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc facienda vetant connubia, facta relaxant.

De singulis videamus.

§. 202. I. *Error*, qui dicitur *personæ*; si sc. ea persona, cum qua contrahitur, alia sit ab ea, quæ creditur; *tot. q. 1. caus.29.* Tum error conditionis matrimonium dissolvit: nam licet hic error non redundet in personam; tamen liberam impedit potestatem in corpus alterius conjugis. Ita si aut liber ancillam duxerit, quam liberam putabat; aut hæc servum. *Nov. 22. c. 10. cap. 4. X. de conjug. serv.* Error vero qualitatis, aut fortunæ, non reddit irritum matrimonium: qualitas enim, aut fortuna est ratio, quæ ad consentiendum movet; non est objectum con-

consensus. Hinc qui ducit mulierem delibatam, pauperem, plebiam, quam non ita credebat, a nuptiis nequit recedere; nisi eæ sub conditione, *si dives fuerit &c.* initæ fuerint.

§. 203. II. *Conditio*, puta servilis i Ecclesia usque ad IX. Sæc., uti ex Conc. Cabilonensi, apud Gratian. *can.* 8. *caus.* 29. *q.* 2., fornicationum loco habuit servorum conjugia præter voluntatem dominorum inita. At Sæc. XII. Adrianus ea valere rescripsit, invitis etiam dominis contracta, *cap.* 1. *de conjug. serv.* Quod si error fiat in conditione; veluti si contrahetur cum servo, qui liber existimatur, nulla est matrimonii vis; quamvis hic error in personam haud redundet; *cap. ult. eod.* Quod & vetus jus erat; *Nov.* 22. *c.* 10., uti superiore §.

§. 204. III. *Metus.* Nuptiæ metu initæ nullæ sunt; modo injustus sit metus, & exterius inferatur, & in eum solum finem, ut nuptiæ fiant, *cap.* 15. 17. *&* 28. *de sponsal. c.* 2. *de eo, qui dux. in matrim.*

§. 205. IV. *Raptus.* Rapta vetabatur Jure Civili nubere raptori, *L.un. C. de raptu virg.* At novo Jure Sæc. XII. ra-

tum censetur hoc matrimonium, si rapta consentiret, *Innoc. III. cap. 7. de raptor.* Quoniam vero rapta quousque in raptoris manu est consentire non videtur, cavit Tridentinum *sess.* 24. *c. 6.*, non posse consistere matrimonium, *quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit.*

§.206. V. *Impotentia* perpetua. Ad eam dignoscendam Justinianus antea biennium, postea triennium a conjugio præscripsit. *Nov.* 22. *c. 6.*: & Canones triennium probarunt, *cap.* 5. *de frig. & malef.*

§. 207. VI *Cognatio*, cujus lineas, & gradus explicuimus in Institutionibus Juris Civilis. In linea recta quot generationes, tot gradus sunt. In transversa eadem est regula Juris Civilis: at Jure Canonico in linea æquali collaterales eo gradu distant inter se, quo a comuni stipite; in inæquali, eo gradu, quo remotior a stipite, *q.* 5. *caus.* 35.: quod discrimen inter Civile, & Canonicum Jus jam ante Sæc. XI. invaluerat. *Vide Jos. Paschal. Cyrill. in Inst. Canonicis lib.* 2. *tit.* 8. Jam in linea recta cognationis nuptiæ in infinitum prohibentur: in collaterali inter fratres, & sorores. Quoad alios cognatos Augustini ætate Ecclesia Imperatorum leges

sequebatur, *de Civ. Dei XV.* 16. Quare Fabiani, ac Julii epistolæ apud Gratianum *caus.* 35. *q.* 2. supposititiæ sunt: atque ætate Isidori, qui eas scripsit, cognationis impedimentum ad septimum lineæ transversæ gradum productum fuit: quod ad Sæc. XIII. stetit. Innocentius III. ad quartum gradum inclusive redegit *cap.* 8. *de consanguin.* In cognatione autem *legali*, quam parit adoptio, Canones Jus civile sequuntur; *can.* 6. *caus.* 34. *q.* 3. *cap. un. X. de cogn. leg.* Tandem ad exemplum cognationis legitimæ iuducta est *spiritualis*; quia spiritualis filius tanquam adoptivus censetur, *L.* 26. *C. de nupt. can.* 1. *caus.* 30. *q.* 3. Cognatio isthæc Baptismo, & Confirmatione contrahitur, *Bonifac. VIII. cap.* 1. *&* *ult. de cogn. spirit. in VI.* Ea olim latissime patebat, *caus.* 30. *q.* 3. *&* 4. Quid vero ex Tridentino *sess.* 24. *cap.* 2. statutum sit, supra diximus *pag.* 234, *&* 239.

§. 208. VII. *Adfinitas*. Quo gradu quis cognatus est viro, eo est adfinis uxori, & vicissim, *can.* 3. *caus.* 35. *q.* 5. Adfinitas Jure Romano nuptiis conjungitur, *L.* 4. §. 3. *de grad.*, *&* *adfin.* Jure Canonico quavis copula, etiam illicita,

ta, *cap.* 8. *&* 9. *de eo qui cognov. consanguin. uxor.* Tum Canones tria adfinitatis genera fecere, *Cujac. ad tit. de consanguin.*, *& adfin.*: unum vero retinuit, secundum Jus Civile, Conc. Lateranense IV. Sæculo XII. *can.* 50.: atque hoc impedimentum eodem jure censeri cavit, quo illud consanguinitatis. At Tridentinum *seſſ.* 24. *de Ref. c.* 4. adfinitatis ex illicita conjunctione impedimentum ad primum, & secundum gradum restrinxit.

§. 209. VIII. *Publicas honestas*, sc. reverentia certis personis debita; ob quam quis matrimonio jungi nequit, & si jungatur, nihil agit, cum consanguineis sponsæ, vel uxoris, si matrimonium cum hac fecerit, sed ratum tantum, non consummatum. Origo hujus impedimenti ex Jure civili est, *L.* 12. §. 1. *&* 2. *de R. N. L.* 14. §. 4. *eod.* V. Mazochium *Diatrib.* 1. *in can. Illiber.* 54. *not.* 6., & Cyrillum *d. loc.* Impedimentum isthoc intra quartum gradum restrictum videtur postquam Concilio Lateranensi III. consanguinitas, & adfinitas eodem gradu conclusæ sunt. At Tridentinum *seſſ.* 24. *c.* 3. honestatis impedimentum ex nullis sponsa-

ſalibus, ſuſtulit; ex validis conſiſtere cavit intra primum gradum. Loquitur Tridentinum de ſponſalibus *de futuro*, uti declaravit Pius V. anno 1568. in Bulla *ad Romanum*: hinc hoc impedimentum, ex rato matrimonio fines a Lateranenſi ſtatutos adhuc habet.

§. 210. IX. *Votum*, ſc. caſtitatis, quod *ſollemne* dicitur, h. e. in Religione per Sedem Apoſtolicam probata emiſſum. *Bonif. VIII. cap. unic. de voto in VI.*, (& quod ſacro ordini ineſt). Id Sæc. VI. invaluit, *Greg. M. Lib. 6. ep. 9. ad Vitalian. Epiſcopum Sipontinum*. Nimirum per plura Sæcula nuptiæ monachorum, licet ſacrilegæ, & nefariæ, non erant tamen invalidæ. *Innoc. I. ep. ad Victric. Rothomagenſ. Auguſt. de bono viduit. cap* 10. Sed in Syn. Romana ſub Innoc. II. anno 1139. *can.* 7. irritæ factæ ſunt. Poſtea diſtinctio fieri cœpit inter votum *ſimplex*, & *ſollemne*, ut illud tantum impediat nuptias, non faciat irritas: hoc etiam irritas. Debetur hæc diſtinctio Gratiano *can.* 43. *cauſ.* 27. *q.* 1., *& can.* 8. *diſt.* 27.; ut ſc. is conciliare poſſet Auguſtini locum cum Synodo Romana. Atque ſecundum eam diſtinctionem poſtea

stea responderunt Pontifices *cap.* 4., & *seq.* X. *qui clerici vel voven.*

§. 211. X. *Ordo*. Sacris ordinibus initiati inhabiles sunt ad nuptias contrahendas. Nam ex antiqua disciplina casti esse debent. Verum per XI. Saecula Canon nullus occurrit, quo irrita declarata sint Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ac Subdiaconorum matrimonia. Id declaratum fuit anno 1125. Can. 21. Lateranensis I., & confirmatum Conciliis Remensi, Lateranensi III., & Tridentino *sess.* 24. *can.* 9. Dicitur quidem in Lateranensi I. & Remensi Concilio, idipsum antea per Canones cautum fuisse: sed id de Consuetudine circa Saec. X. inducta accipiendum est. Quoniam vero majores Clerici etiam castitatis voto adstringuntur, quaerunt Theologi, ordo sacer nullum ne reddat matrimonium ex lege Ecclesiastica, an ex voto. At de hac quaestione Tridentini Patres haud fuerunt solliciti.

§. 212. XI. *Cultus disparitas*. Nuptiae vetantur inter baptizatum, & non baptizatum. Sed nullo veteri Canone eas non valere statutum: immo validae erant. Tandem ex consuetudine conjugia fidelium

cum

cum Infidelibus irrita habita sunt: idque Sæc. XII. Ecclesiæ universæ jus erat. *Juvenin. c. 6. art. 2. §. 2.*

§. 213. XII. *Ligamen*; nimirum matrimonium, sive consummatum, sive ratum, cum conjuge adhuc vivente. Sane Polygamia simultanea vetita. *Wisenbach. in L. 2. C. de incest. nupt. Brisson. de Jure connubior.* At solutis primis nuptiis, secundæ nusquam gentium interdictæ sunt. Sed veteres Patres eas uti impuritatis & incontinentiæ plenas traduxerunt. Quare Conc. Neocesar. *can.* 3., & Basilius *ep. ad Ampiloch. can.* 4. publicæ pœnitentiæ digamos subjecerunt, fortasse ad contractam incontinentiam eluendam. Hinc & sacra benedictio olim secundis nuptiis denegata, *Conc. Neocesar. can.* 7. At novo jure nec mulier, quæ intra annum luctus nubit, infamis, *cap.* 4. *& seq. X. de secund. nupt.*

§. 214. XIII. *Clandestinitas*, sc. si quis *aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium* contraxerit: quæ verba sunt Tridentini, *d. sess. cap.* 1. Ante Tridentinum clandestina matrimonia illicita, &

pro-

prohibita fuere, non item nulla, & irrita; uti ex verbis ejusdem Concilii.

§.215.XIV,*Crimen*, sc.adulterii, & homicidii. Homicidio dirimitur matrimonium. Si conjux conspiratione cum tertio facta conjugem occidit, nuptias cum tertio illo inire non potest, *cap.* 1, *de convers. infidel. V. Juvenin. diss.* 10. *q.* 7. *c.* 5. Adulterum porro nubere adulteræ vetitum Jure Romano, quod Ecclesia diu sequuta est. *Aug. Lib. I. de nupt. c.* 10.: & perperam Gratianus *can.* 2. *caus.* 31. *q.* 1. legit *fieri potest*, uti rectissime Correctores Romani observant. At Gratianus *can.* 3. *d. caus. q.* 3. ita antiquos Canones restrinxit; *si adulter nihil in morte viri machinatus fuerit, vel si vivente viro fidem adulteræ non dedit, se sumturum eam sibi in conjugem, si viro ejus superviveret*. Atque idipsum ex Decretalibus *cap.* 6., & *penult. de eo, qui dux. in matrim. quam polluit per adulter.*

§. 216. Agamus nunc de relaxandis matrimonii impedimentis. Ea jure humano inducta, relaxari possunt, & nuptiæ postea iniri. Id audit *dispensatio*: & antiquitus Rescriptis Principum fiebat. *L. un. C. Th. si nuptiæ ex rescripto petan-*

tum

tur Cassiodor. Variar. VII. 6. 40., & *47. Ambros. ep. 60. ad Patern.* Ecclesia vero tunc temporis pœnitentias canonicas relaxabat, *Conc. Chalced. can. 16. Greg. M. Lib. I. ep. 33.* At circa Sæc. XI. potestas concedendi matrimonia inter eos, qui humano Jure nuptias inire non poterant, ad Ecclesiam transiit: quare Summus Pontifex impedimenta relaxat. Sed & relaxant episcopi impedientia impedimenta, excepto illo ex sponsalibus, & alio ex simplici voto castitatis perpetuæ, aut profitendi Religionem. *Benedict. XIV. de Syn. Diœces. IX. 2.*

§. 217. Dicitur autem in Tridentino *sess. 24. de ref. matrim. c. 5.*: *in contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro: idque ex causa, & gratis concedatur: in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos principes, & ob publicam causam*. Satis est autem causa privata in concedendis nuptiis ultra secundum gradum cognationis ex latere, aut adfinitatis, & in impedimentis cognationis spiritualis, & publicæ honestatis. Verum non impedimenta omnia Jure humano statuta solent relaxari; sed tantum quæ sunt ex cognatio-

tione, & affinitate in gradibus remotioribus, ex publica honestate, atque ex adulterio sine conspiratione in mortem conjugis.

§. 218. Postremo hujus capitis loco breviter de divortiis verba faciamus. Divortium Romano Jure est legitima nuptiarum solutio, vivente utroque conjuge facta; ita ut postea possint novæ nuptiæ celebrari. Repudii amplior significatio; quia & uxori, & sponsæ mittebatur, *L.* 101. *ff. de V. S.*. Jure Canonico tam separatio tori, & habitationis in perpetuum, vel ad tempus, manente matrimonii vinculo, quam hujus vinculi solutio, divortium audit. De nuptiis antiquitus etiam *bona gratia* solutis, agit præ ceteris Heineccius *in append. ad Lib.* 1. *Antiqu. c.* 1. §.45. *seq.* Verum Servator noster *Matth. XIX. v.* 3., moechari eum ait, qui dimiserit uxorem suam, *εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ*, *nisi ob fornicationem*: at nullam exceptionem proponunt Marcus *X.* 2., & Lucas *XVI.*18. Alicubi in Occidente aliis ex causis matrimonia prorsus soluta. *Conc. Compendiens. ann.* 756. *can.* 16.; & Gregorius apud Gratian. *can.* 18. *caus.* 23. *q.* 7. Sed perperam. Quin ex antiquis Pa-

Patribus alii putarunt, per adulterium nonnisi vitæ consuetudinem abrumpi, *Conc. Milevit. can.* 17. *Orig. hom.* 7. *in Matth. August. de bono conjug. cap.* 7.: licet alii & ipsum matrimonii vinculum. *Tertull. Lib.* 2. *ad uxor. c.* 1. *Conc. Arelat.* 1. *can.* 10., *can.* 23. *caus.* 32. *q.* 7.

§. 219. Jam vero post Sæc. X. Christianorum Principum leges, quæ jam de divortiis diversimode conceptæ fuerunt, *L.* 8. *C. Th. L.* 8. *C. Iust. de repud. Nov.* 107. *c.* 8. & 9., Ecclesiæ auctoritati cessere: ac Tridentini Patres anathema iis dixerunt, qui Ecclesiam erroris accusabant, docentem, nec adulterio matrimonium solvi, *sess.* 24. *de sacram. matrim. can.* 7. *V. Pallavicin. hist. Trid. XXII.* 4. Quid in Oriente obtineat, vide *Renaudot de la perpetuité de la foi VI* 7., & *Launoj de regia in matrim. potest. p.* 3. *art.* 1. *c.* 5.

§. 220. Matrimonii inter fideles contracti vinculum non solvitur, si alter a fide discedat, *cap.* 7. *de divort.*. Si vero sit legitimum, h. e. inter infideles, solvitur, si alter ad fidem convertatur, & infidelis vel discedat, 1. *ad Cor. VII.* 17., vel a fideli discedere nolit, ut religioni

T in-

injuriam afferat, occasionemve pecandi præbeat, *d. cap.* 7. *can.* 4. *cauſ.* 28. *q.* 1.. Sin infidelis in dicta specie fideli molestus non sit, hic diverti nequit; idque ut illius etiam conversionem procuret.

§. 221. Si matrimonium ratum tantum sit, non consummatum, solvitur, si alter, etiam altero invito, monasticam professionem edat, *cap.*2., & 14. *de conversf. conjugat.* Eo autem consummato, possunt conjuges toro, & habitatione perpetuum separari, salvo vinculo, si alter ex alterius consensu; aut ex compacto religionem ambo ingrediantur; aut si vir apud Latinos cum uxoris consensu sacros ordines suscipiat.

§. 222. Conjuges vero ex nova disciplina possunt toro, & habitatione separari inviti, sed judicis auctoritate, legitimis ex causis. Præcipue ex alterius apostasia, aut hæresi, *cap.* 6. *de divort.*, sævitia, *cap.*8., & 13. *de restit. spoliat.*, ex voluntario alterutrius adulterio (immo vir uxorem adulteram, nisi pœnitentiam egerit, dimittere debet; *can.* 4. 6. & 7. *cauſ.* 32. *q.* 1., *cap.* 3. *de adulter.*): tum si alter alterum ad mortale peccatum cogat; *cap.* 2. *de divort.*

CAP.

CAP. VIII.

DE JEJUNIIS: NECNON DE FESTIS DIEBUS.

§. 123. RELigiosum Christianorum officium est jejuniorum observatio; ut corpus in servitutem redigatur. A carnibus ideo, ac delicatioribus cibis se abstinere debent, & cibum usque ad certam horam differre. Jejunia autem, quibus fideles omnes obligantur, statis temporibus recurrunt; uti quadragesimæ, quatuor temporum, quartæ, & sextæ feriæ (ex veteri disciplina), & vigiliarum: tum quæ episcopi fortasse indicunt, *Tertull. de jejun. c.* 13.

§. 124. Ex necessitate vero ad jejunium, præsertim quadragesimæ, fideles, etiam olim, adigebantur; non suo arbitrio, uti Jo. Dallæus, & Calviniani omnes somniarunt: & nemo conditionis, ætatis, vel vitæ generis obtentu ab ea observatione eximebatur, *Basil. hom.*2. *de jejun. Leo M. serm.* 11. *de quadragesim.* Profecto pœnitentia omnibus necessaria existimabatur. Carnibus in quadragesima uti so-

summodo poterat aliquis ex *inevitabili necessitate*; & post sacerdotis veniam, *Conc. Tolet. VIII. can.* 9. Quod si Ecclesia Montanistarum jejunia reprobavit, id statuit ob figmentum revelationis per Paracletum Montano factæ. *N. Alex. Sæc.* 2. *Hist. Eccl. diss.* 4.

§. 225. Quadragesimæ dies esuriales 36. fuerunt ad VI. Sæculum. Sane sex olim hebdomadæ erant: in die vero dominico jejunium non servabatur, in dominicæ resurrectionis memoriam, *Greg. M. Hom.* 16. *in Evangelia*. Postmodum additi quatuor dies esuriales; sc. cinerum dies, & tres sequentes. Atque ut olim una fuerit quadragesima ante Pascha, additæ duæ fuerunt, præsertim in Gallia; sc. ante Natalem Christi, & post Pentecosten; *Lib. VI. Capitular.* 187.

§. 226. Jejunia quatuor temporum per quatuor singulorum annorum tempestates, observantur singula in tribus diebus, sc. feria tertia, sexta, & sabbato. Ea Judæorum exemplo jam V. Sæc. apud nos recepta fuere: *Leo M. serm.* 4. & 9. *de jejunio septimi mensis*. Præterea jejunium quartæ, & sextæ feriæ in qualibet hebdomada olim servabatur, *Tertull.* de

de jejuniis cap. 14. : quia de Christo morti tradendo Judæi quarta feria consilium fecerunt ; sexta morti dederunt, *August. ep. 86. ad Casulan.* Additum fuit jejunium sabbati ob Christi sepulturam. Verum hæc jejunia non servabantur ob lœtitiam per Christi resurrectionem a Paschæ die ad Pentecosten : vel si in iis diebus festum Nativitatis Christi incideret. Tandem festorum vigiliæ olim erant nocturnæ preces in Ecclesiis; & jejunium in die vigilias præcedente fiebat. Vetitæ postmodum illæ fuere, & retento nomine esuriales facti sunt vigiliæ dies, *Honor. Augustodunens. III. 6.*

§.227. Abstinentiam a carnibus, & cibis delicatioribus in jejunii die, adversus hæreticos, & in primis Dallæum, probat N. Alex. *Hist. Eccl. Sæc. II. diss.* 4. *art.*2.:quin severior erat,præsertim in Oriente, Ecclesiæ disciplina, in cibis, & potu, *Basil. hom.* 1. *de jejun. Epiphan. exposit. fid.* Tum unica comestio ex cibis esurialibus hora legitima frugaliter sumenda : immo,præter refectionis horam, nec aquam bibere licebat, *Prudent. hymn. 6.* Hora autem refectionis in quadragesima erat vespere post solis occasum, *Basil. Hom.*

1. *de jejunio* : in reliquis jejuniis post horam nonam; *Epiphan. exposit. fid.* §. 22. At circa Sæc. XIII. ad horam nonam refectio in quadragesimali jejunio ex more redacta est, *S. Thom.* 2. 2. *q.* 147. *art.*7. : postea ad meridiem in omnibus jejuniis: modo unica fuerit in die refectio, *N. Alex. in sæc. II. Hist. Eccl. diss.* 4. *art.* 7. Moribus etiam jejunium sextæ feriæ, & sabbati in abstinentiam a carnibus abiit: & in jejuniis vespertinæ cœnulæ invaluerunt, nomine *collationis*, quod spirituali lectioni antea tribuebatur. *N. Alex. d. loc.*

§. 228. Est quoque religiosum fidelium officium festorum dierum celebratio. Festi dies & a Gentibus, & a Christianis celebrati usque ab Apostolorum ætate; uti Pascha, Pentecoste, & dominicæ. Postmodum alii additi sunt, *Hospinianus de festis*. In honorem Mariæ Virginis primum in Hispania festum Annuntiationis circa Sæc. VII.: & antiquiores Ecclesiæ Patres putabant, festos Filii quodammodo Matris solemnitates esse, *Thomassin. de celebratione festorum I.* 5. Profecto internus cultus externum haud excludit; qui illum maximopere excitet, adjuvet. §.229.

§. 229. Dies festi mobiles a Paschæ die pendent. Pascha, quia Christus postridie Paschæ Judæorum resurrexit, celebratur dominica, quæ post æquinoctium vernum decimamquartam lunam Martii proxime sequitur. Quod post emendationem Kalendarii a Gregorio XIII. factam dilucidius dignoscitur. Ecclesiæ autem Asianæ celebrabant cum Judæis luna 14. mensis primi, in quamcumque hebdomadis feriam: *N. Alex. Hist. Eccles. sæc.* 2. *diss.* 5. Possunt vero episcopi in suis Ecclesiis festos dies instituere; ex cleri tamen, & populi consensu, *can.* 1. *dist.* 3. *de consecr. cap.* 1. *X. de feriis*. Civilis autem potestas populum ræpresentat; *Espen. p.* 2. *tit.* 17. *c.* 1.

§. 230. In diebus dominicis, & festis sanctitas unice præ oculis habenda: *Augustin. enarrat. in Psalm.* 32. & fideles divinum officium olim cantu celebrabant, *Espen. p.* 1. *cap.* 2. §. 1. Cessatio a servilibus operibus, & strepitu forensi indicta est *L.* 3. *C. de feriis*, *Leo Const.* 54. *cap.* 1. & *ult. X. de feriis*: & vetita spectacula; *L.* 2. & *ult. C. Th. de spectacul.* Ceterum festorum numerus imminutus a Benedicto XIV. *de Syn. diœces.* *XIII.* 18.

C A P. IX.

DE ECCLESIIS, EARUMQUE ASYLO.

§.231. NUnc ad Ecclesias, aliaque pia loca decedamus. *Ecclesiæ* vocabulum populi conventum denotat. Receptum est autem, ut locum significet, in quem Christiani sacris operaturi conveniunt. Hoc nomine olim opponebatur Ethnicorum Templis, Judaicisque Sinagogis, ac cœnaculis, quæ apud Judæos erant oratoria in parte ædium superiore extructa, *Act. I.* 13., *&* *V.* 42. Dicunt etiam scriptores Ecclesiastici Ecclesiam *Dominicum*, h. e. Domum Dei; *Oratorium*, quæ vox primum publicæ Ecclesiæ; postea privatis sacellis adplicata fuit, *Euseb.X.*3. *&* *Nov.* 58., *Titulum*, apud Latinos, exemplo Fisci, qui imposito titulo, h. e. Imperatoris signo, rem sibi addicebat, *Baron. ad ann.* 112.; *Basilicam*, sc. Regias ædes ad causas audiendas, vel alium publicum usum, quæ datæ fuerunt ob Christianorum conventus; & *Templum*; quod nomen apud Christianos post VI. Sæc. invaluit. Quod si Ecclesia super alicujus Mar-

Martyris sepulcrum ædificabatur, vel in memoriam Apostoli cujusdam, aut Prophetæ, eam dixere *Martyrium*, *Apostoleum*, vel *Propheteum*.

§. 232. Templorum origo est cum ipso Ecclesiæ principio; *Bingh. O.E.VIII.* 1. §. 13.: quicquid Bohemerus, aliique contendant. Ea autem ornari, ac frequentari cœperunt, decrescente Chistiani nominis invidia, ex Constantini munificentia, & edictis de Templis Paganorum in Ecclesias convertendis; *tit. C. Th. de paganis.*

§. 233. Forma, & situs Ecclesiæ olim non semper idem. Sæpenumero servata fuit Apostolica Constitutio *II.* 57, quæ eam *oblongam*, & *navi similem* voluit; & sanctuarium *Orientem versus*. *Bingham. VIII.* 3. §. 1. Neque idem nunc Ecclesiarum genus: cum sint Cathedrales, Collegiatæ, Paroeciales, Conventuales, Capellæ. Eæ vero omnes nonnisi cum episcopi consensu ædificari possunt, *Conc. Chalced. can.* 4.; qui videat, an causa justa subsit, *can.* 10. *dist.* 1. *de consecr.*, an dos sufficiat, *can.* 9. *dist.* 1. *eod. Nov.* 117.; an parochus, vel incolæ impedire possint; & sollemnes preces in loco, quo Ec-

ac precibus; extracto etiam cadavere. *Id ad exemplum, ac terrorem* fit; quo peccatores *inanimatum Templum purificari videntes, delicti horrore concutiantur; Conc. Colonienf. ann.* 1536. *p.* 9. *c.* 17. Sin Ecclesia tantum benedicta sit, sola aqua benedicta a presbytero lavabitur.

§. 237. Tandem quoad Ecclesiarum, præsertim parœciallium, reparationem, ubi bona Ecclesiastica non suppetant, *cap.* 1. & 4. X. *de Eccl. ædific.*, ea ad fideles pertinet. Sed receptum apud nos non est Tridentini decretum *sess.* 21. *de ref. cap.* 7., quo episcopi possent patronos, aliosque redituum ecclesiasticorum possessores, & parœcianos ipsos ad parœciam instaurandam cogere.

§. 238. Jam vero *asyli* vox Græcæ originis, locum sanctum significat, quo qui confugiunt, extrahi non possunt. Asyli jus constituendi in Ecclesiis ad quam potestatem pertineat: tum cujus Judicis sit cognoscere, an ad Ecclesiam confugientes, asylo defendantur, vide Canonistas, & præ ceteris Espenium *diss. de asylo templorum*; & *Sarpum de J. asylor.* Justinianus *Nov.* 17. *c.* 7. ait, *Templorum cautela non nocentibus, sed læsis da-*

tur

tur a lege. Postmodum Ecclesiarum asyla omnibus eo confugientibus, etiam ad publicarum pœnarum remissionem, prodesse cœperunt, *Capit. Reg. Franc. V.* 155. *Conc. Aurelian.* 1. *can.* 3. Sed iis canonicæ imponebantur pœnitentiæ. Cum autem non reorum conversio, sed impunitas ex asylo obtineretur; hinc restrictum esse legitur: eoque non gaudere publicos latrones, & nocturnos agrorum populatores, *cap. 6. X. de immun. Eccl.*: nec non eos, qui in Ecclesiis occiderint, aut membra mutilarint, cautum est *cap. ult. eod.*

§. 239. Securitas asyli præstabant quoque exedræ, seu *septa* Ecclesiæ, *L.* 4. *C. Th. de iis, qui ad Eccl. confug.*: tum ad alia loca extensa est. Et qui per vim reos ab Ecclesia extrahunt, excommunicantur, ac publicæ subjiciuntur pœnitentiæ, *can.* 20. & 35. *caus.* 17. *q.* 4. At post Bullam Gregorii XIV. *quam aliis nonnulli*, magnis animis de hoc jure disputatum est. Tandem Concordato inter Benedictum XIV., & Carolum Borbonium, *cap.* 2. statutus est modus abducendi ab asylo criminum exceptorum reos: forma judicii, an reus asylo gaudeat: numerus au-

injuriam afferat, occasionemve pecandi præbeat, *d. cap.* 7. *can.* 4. *cauf.* 28. *q.* 1.. Sin infidelis in dicta specie fideli molestus non sit, hic diverti nequit; idque ut illius etiam conversionem procuret.

§. 221. Si matrimonium ratum tantum sit, non consummatum, solvitur, si alter, etiam altero invito, monasticam professionem edat, *cap.*2., & 14. *de conver/. conjugat.* Eo autem consummato, possunt conjuges toro, & habitatione perpetuum separari, salvo vinculo, si alter ex alterius consensu; aut ex compacto religionem ambo ingrediantur; aut si vir apud Latinos cum uxoris consensu sacros ordines suscipiat.

§. 222. Conjuges vero ex nova disciplina possunt toro, & habitatione separari inviti, sed judicis auctoritate, legitimis ex caussis. Præcipue ex alterius apostasia, aut hæresi, *cap.* 6. *de divort.*, sævitia, *cap.*8., & 13. *de restit. spoliat.*, ex voluntario alterutrius adulterio (immo vir uxorem adulteram, nisi pœnitentiam egerit, dimittere debet; *can.* 4. 6. & 7. *cauf.* 32. *q.* 1., *cap.* 3. *de adulter.*): tum si alter alterum ad mortale peccatum cogat; *cap.* 2. *de divort.*

CAP.

C A P. VIII.

DE JEJUNIIS: NECNON DE FESTIS DIEBUS.

§. 123. Religiosum Christianorum officium est jejuniorum observatio; ut corpus in servitutem redigatur. A carnibus ideo, ac delicatioribus cibis se abstinere debent, & cibum usque ad certam horam differre. Jejunia autem, quibus fideles omnes obligantur, statis temporibus recurrunt; uti quadragesimæ, quatuor temporum, quartæ, & sextæ feriæ (ex veteri disciplina), & vigiliarum: tum quæ episcopi fortasse indicunt, *Tertull. de jejun. c.* 13.

§. 224. Ex necessitate vero ad jejunium, præsertim quadragesimæ, fideles, etiam olim, adigebantur; non suo arbitrio, uti Jo. Dallæus, & Calviniani omnes somniarunt: & nemo conditionis, ætatis, vel vitæ generis obtentu ab ea observatione eximebatur, *Basil. hom.*2. *de jejun. Leo M. serm.* 11. *de quadragesim.* Profecto pœnitentia omnibus necessaria existimabatur. Carnibus in quadragesima uti so-

summodo poterat aliquis ex *inevitabili necessitate*; & post sacerdotis veniam, *Conc. Tolet. VIII. can.* 9. Quod si Ecclesia Montanistarum jejunia reprobavit, id statuit ob figmentum revelationis per Paracletum Montano factæ. *N. Alex. Sæc.* 2. *Hist. Eccl. diss.* 4.

§. 225. Quadragesimæ dies esuriales 36. fuerunt ad VI. Sæculum. Sane sex olim hebdomadæ erant: in die vero dominico jejunium non servabatur, in dominicæ resurrectionis memoriam, *Greg. M. Hom.* 16. *in Evangelia*. Postmodum additi quatuor dies esuriales; sc. cinerum dies, & tres sequentes. Atque ut olim una fuerit quadragesima ante Pascha, additæ duæ fuerunt, præsertim in Gallia; sc. ante Natalem Christi, & post Pentecosten; *Lib. VI. Capitular.* 187.

§. 226. Jejunia quatuor temporum per quatuor singulorum annorum tempestates, observantur singula in tribus diebus, sc. feria tertia, sexta, & sabbato. Ea Judæorum exemplo jam V. Sæc. apud nos recepta fuere: *Leo M. serm.* 4. & 9. *de jejunio septimi mensis*. Præterea jejunium quartæ, & sextæ feriæ in qualibet hebdomada olim servabatur, *Tertull.*

de jejuniis cap. 14. : quia de Christo morti tradendo Judæi quarta feria consilium fecerunt ; sexta morti dederunt, *August. ep. 86. ad Casulan.* Additum fuit jejunium sabbati ob Christi sepulturam. Verum hæc jejunia non servabantur ob lœtitiam per Christi resurrectionem a Paschæ die ad Pentecosten : vel si in iis diebus festum Nativitatis Christi incideret. Tandem festorum vigiliæ olim erant nocturnæ preces in Ecclesiis; & jejunium in die vigilias præcedente fiebat. Vetitæ postmodum illæ fuere, & retento nomine esuriales facti sunt vigiliæ dies, *Honor. Augustodunens. III. 6.*

§.227. Abstinentiam a carnibus, & cibis delicatioribus in jejunii die, adversus hæreticos, & in primis Dallæum, probat N. Alex. *Hist. Eccl. Sæc. II. diss.* 4. *art.*2.:quin severior erat,præsertim in Oriente, Ecclesiæ disciplina, in cibis, & potu, *Basil. hom.* 1. *de jejun. Epiphan. exposit. fid.* Tum unica comestio ex cibis esurialibus hora legitima frugaliter sumenda : immo,præter refectionis horam, nec aquam bibere licebat, *Prudent. hymn. 6.* Hora autem refectionis in quadragesima erat vespere post solis occasum, *Basil. Hom.*

1. *de jejunio* : in reliquis jejuniis post horam nonam ; *Epiphan. exposit. fid.* §. 22. At circa Sæc. XIII. ad horam nonam refectio in quadragesimali jejunio ex more redacta est, *S. Thom.* 2. 2. *q.* 147. *art.*7. : postea ad meridiem in omnibus jejuniis: modo unica fuerit in die refectio, *N. Alex. in sæc. II. Hist. Eccl. diss.* 4. *art.* 7. Moribus etiam jejunium sextæ feriæ, & sabbati in abstinentiam a carnibus abiit: & in jejuniis vespertinæ cœnulæ invaluerunt, nomine *collationis*, quod spirituali lectioni antea tribuebatur. *N. Alex. d. loc.*

§. 228. Est quoque religiosum fidelium officium festorum dierum celebratio. Festi dies & a Gentibus, & a Christianis celebrati usque ab Apostolorum ætate ; uti Pascha, Pentecoste, & dominicæ. Postmodum alii additi sunt, *Hospinianus de festis*. In honorem Mariæ Virginis primum in Hispania festum Annuntiationis circa Sæc. VII.: & antiquiores Ecclesiæ Patres putabant, festos Filii quodammodo Matris sollemnitates esse, *Thomassin. de celebratione festorum l.* 5. Profecto internus cultus externum haud excludit, qui illum maximopere excitet, adjuvet.

§.229.

§. 229. Dies festi mobiles a Paschæ die pendent. Pascha, quia Christus postridie Paschæ Judæorum resurrexit, celebratur dominica, quæ post æquinoctium vernum decimamquartam lunam Martii proxime sequitur. Quod post emendationem Kalendarii a Gregorio XIII. factam dilucidius dignoscitur. Ecclesiæ autem Asianæ celebrabant cum Judæis luna 14. mensis primi, in quamcumque hebdomadis feriam: *N. Alex. Hist. Eccles. sæc.* 2. *diss.* 5. Possunt vero episcopi in suis Ecclesiis festos dies instituere; ex cleri tamen, & populi consensu, *can.* 1. *dist.* 3. *de consecr.* : *cap.* 1. *X. de feriis*. Civilis autem potestas populum ræpresentat; *Espen. p.* 2. *tit.* 17. *c.* 1.

§. 230. In diebus dominicis, & festis sanctitas unice præ oculis habenda: *Augustin. enarrat. in Psalm.* 32.: & fideles divinum officium olim cantu celebrabant, *Espen. p.* 1. *cap.* 2. §. 1. Cessatio a servilibus operibus, & strepitu forensi indicta est *L.* 3. *C. de feriis*, *Leo Const.* 54. *cap.* 1. & *ult. X. de feriis*: & vetita spectacula; *L.* 2. & *ult. C. Th. de spectacul.* Ceterum festorum numerus imminutus a Benedicto XIV. *de Syn. diœces.* *XIII.* 18.

 CAP.

C A P. IX.

DE ECCLESIIS, EARUMQUE ASYLO.

§.231. NUnc ad Ecclesias, aliaque pia loca decedamus. *Ecclesiæ* vocabulum populi conventum denotat. Receptum est autem, ut locum significet, in quem Christiani sacris operaturi conveniunt. Hoc nomine olim opponebatur Ethnicorum Templis, Judaicisque Sinagogis, ac cœnaculis, quæ apud Judæos erant oratoria in parte ædium superiore extructa, *Act. I.* 13., *&* *V.* 42. Dicunt etiam scriptores Ecclesiastici Ecclesiam *Dominicum*, h. e. Domum Dei; *Oratorium*, quæ vox primum publicæ Ecclesiæ; postea privatis sacellis adplicata fuit, *Euseb.X.*3. *&* *Nov.* 58.; *Titulum*, apud Latinos, exemplo Fisci, qui imposito titulo, h. e. Imperatoris signo, rem sibi addicebat, *Baron. ad ann.* 112.; *Basilicam*, sc. Regias ædes ad causas audiendas, vel alium publicum usum, quæ datæ fuerunt ob Christianorum conventus; & *Templum*; quod nomen apud Christianos post III. Sæc. invaluit. Quod si Ecclesia super alicujus Mar-

Martyris sepulcrum ædificabatur, vel in memoriam Apostoli cujusdam, aut Prophetæ, eam dixere *Martyrium*, *Apostoleum*, vel *Propheteum*.

§. 232. Templorum origo est cum ipso Ecclesiæ principio; *Bingh. O.E.VIII.* 1. §. 13.: quicquid Bohemerus, aliique contendant. Ea autem ornari, ac frequentari cœperunt, decrescente Chistiani nominis invidia, ex Constantini munificentia, & edictis de Templis Paganorum in Ecclesias convertendis; *tit. C. Th. de pagnnis.*

§. 233. Forma, & situs Ecclesiæ olim non semper idem. Sæpenumero servata fuit Apostolica Constitutio *II.* 57, quæ eam *oblongam*, *&* *navi similem* voluit; & sanctuarium *Orientem versus*. *Bingham. VIII.* 3. §. 1. Neque idem nunc Ecclesiarum genus: cum sint Cathedrales, Collegiatæ, Paroeciales, Conventuales, Capellæ. Eæ vero omnes nonnisi cum episcopi consensu ædificari possunt, *Conc. Chalced. can.* 4.; qui videat, an causa justa subsit, *can.* 10. *dist.* 1. *de consecr.*, an dos sufficiat, *can.* 9. *dist.* 1. *eod. Nov.* 117.; an parochus, vel incolæ impedire possint; & sollemnes preces in loco, quo Ec-

Ecclesia ædificatur, etiam per alium fundat.

§. 234. Ante Ecclesiæ fores erat olim *atrium*, in cujus medio aquarum receptacula, ut fideles se lavarent, *Euseb. X. 4.*, Alia circa Ecclesiam ædificia *exedræ* audiebant, uti *baptisterium*, *secretarium*, seu *vestiarium*, *scholæ*, & ex noviore disciplina *turris campanaria*. *V. Bingh. Lib. VIII.* Intra Ecclesiam vero sub portæ ingressum erat *Narthex*; sequebatur *Navis*, in qua erat *ambo*; & in qua etiam parietibus ligneis mulieres a viris separari solebant, *Chrysost. hom. 74. in Matth.* Tandem erat *Sanctuarium*, locus excelsior, & cancellis a navi distinctus, *Morin. de pœnit. VI. 1.*, in cujus medio erat altare, dictum etiam *sanctum sanctorum*; & quidem unum olim in una Ecclesia, uti Schelestrato, & Haberto visum. In Ecclesia tandem sacræ imagines debita veneratione colendæ sunt, *Conc. Nicæn. II. act. 7. Trid. sess. 25. decr. de invoc. sanct.* Rarior hic usus per tria priora Sæcula, *N. Alex. Hist. Eccl. Sæc. 8. diss. 6. §. 3.*, *Petav. Theol. Dogm. XV. 13.*; ne Christiani viderentur Gentes imitari, *Conc. Illiberit. can. 26.*: sed id religiose ea-

earum cultui, qui hypotheticus dicitur, nihil officit.

§. 235. Ædificata Ecclesia consecrari debet, aut benedici. Consecratio (quæ certis ritibus, conceptisque formulis expeditur, cum *dedicatio*, & ἐγκαίνια, sit *initiatio*, & primus rei usus, *Mazoch. de amphit. camp. cap.3.*; *& diatr. de dedicat.*, *& ep. de dedicat. sub ascia cap.* 1.), nonnisi a proprio Episcopo (ex ordine, non jurisdictione) fieri debet, *Conc. Bracar.* 1. *can.* 37., *Conc. Chalced. can.* 4. *Justin. Nov.* 57., & multis precibus, sermonibus, ac ritibus, præsertim baptismum repræsentantibus. Hinc non iteratur, etsi enormi crimine polluatur Ecclesia, *can.* 20. *dist.* 1. *de consecr. cap.* 6. *X. de consecr. Eccles.*

§. 236. Polluitur quidem Ecclesia per ethnici, aut excommunicati sepulturam, *cap.* 7. *eod.*; per effusionem humani seminis, etiam licita, *cap.* 5. *X. de adulter. can.* 19. *dist.* 1. *de consecr.*; & per humani sanguinis effusionem, vel homicidium, etiam sine sanguine, *cap.4. & ult. de consecr. Eccl.* Et polluta Ecclesia reconcilianda est a solo episcopo cum aqua benedicta, vino & cinere mixta; ac

ac precibus; extracto etiam cadavere. *Id ad exemplum, ac terrorem* fit; quo peccatores *inanimatum Templum purificari videntes, delicti horrore concutiantur; Conc. Coloniens. ann.* 1536. *p.* 9. *c.* 17. Sin Ecclesia tantum benedicta sit, sola aqua benedicta a presbytero lavabitur.

§. 237. Tandem quoad Ecclesiarum, præsertim parœciallium, reparationem, ubi bona Ecclesiastica non suppetant, *cap.* 1. *&* 4. *X. de Eccl. ædific.*, ea ad fideles pertinet. Sed receptum apud nos non est Tridentini decretum *sess.* 21. *de ref. cap.* 7., quo episcopi possent patronos, aliosque redituum ecclesiasticorum possessores, & parœcianos ipsos ad parœciam instaurandam cogere.

§. 238. Jam vero *asyli* vox Græcæ originis, locum sanctum significat, quo qui confugiunt, extrahi non possunt. Asyli jus constituendi in Ecclesiis ad quam potestatem pertineat: tum cujus Judicis sit cognoscere, an ad Ecclesiam confugientes, asylo defendantur, vide Canonistas, & præ ceteris Espenium *diss. de asylo templorum*; *&* *Sarpum de J. asylor.* Justinianus *Nov.* 17. *c.* 7. ait, *Templorum cautela non nocentibus, sed læsis da-*

tur

tur a lege. Poſtmodum Eccleſiarum aſyla omnibus eo confugientibus, etiam ad publicarum pœnarum remiſſionem, prodeſſe cœperunt, *Capit. Reg. Franc. V.* 155. *Conc. Aurelian.* 1. *can.* 3. Sed iis canonicæ imponebantur pœnitentiæ. Cum autem non reorum converſio, ſed impunitas ex aſylo obtineretur; hinc reſtrictum eſſe legitur: eoque non gaudere publicos latrones, & nocturnos agrorum populatores, *cap. 6. X. de immun. Eccl.*: nec non eos, qui in Eccleſiis occiderint, aut membra mutilarint, cautum eſt *cap. ult. eod.*

§. 239. Securitas aſyli præſtabant quoque exedræ, ſeu *ſepta* Eccleſiæ, *L.* 4. *C. Th. de iis, qui ad Eccl. confug.*: tum ad alia loca extenſa eſt. Et qui per vim reos ab Eccleſia extrahunt, excommunicantur, ac publicæ ſubjiciuntur pœnitentiæ, *can.* 20. & 35. *cauſ.* 17. *q.* 4. At poſt Bullam Gregorii XIV. *quam aliis nonnulli*, magnis animis de hoc jure diſputatum eſt. Tandem Concordato inter Benedictum XIV., & Carolum Borbonium, *cap.* 2. ſtatutus eſt modus abducendi ab aſylo criminum exceptorum reos: forma judicii, an reus aſylo gaudeat: numerus au-

auctus criminum, quibus non gaudetur asylo: & deminutus numerus locorum, quibus hoc jure uti potest. Quæ omnia in dicto Concordato adeo perspicua sunt, ut heic exscribere supervacaneum videatur.

§. 240. Pauca subtexamus de sepulturis, hospitalibus, & Monasteriis. Apud omnes Gentes mortuorum sepultura, variis licet ritibus, recepta est. Christiani semper integra cadavera humare consueverunt; & olim extra urbes, *L. 6. C. Th. de sepul. viol. Chrysost. hom.* 17. *de fide*, in locis, quæ *cryptæ*, *arenaria*, & *cœmeteria* audiebant. At sanctiores primum; tum fideles omnes Sæc. IX. in Ecclesiis humabantur. Et nova etiam disciplina in cœmeteriis. Nulla ideo est electio sepulturæ in loco profano, *cap.* 3. *X. de sepult.* Quisque autem in propria Ecclesia sepeliendus est, ut Ecclesiastica communio post mortem quoque esse videatur. *cap.* 5. *de sepult. in VI.*; nisi extet majorum sepulcrum, *cap.* 1. & 3. *X. de sepult.*, vel nisi quis sepulturam sibi elegerit, *cap.* 7. *eod.* Quare qui viventes cum Ecclesia communicare nequeunt, Ecclesiastica quoque sepultura privantur.

Ob-

Observandum est, funeraria jura parochis deberi *cap.* 42. *X. de simon.*, vel *quartam funerariam*, *seu canonicam*, si quis extra parœcialem Ecclesiam sepeliatur. *cap.* 8. *X. de sepult.*

§. 241. Hospitalia lato sensu non solum ædes ad hospites, & peregrinos excipiendos destinatas significant, verum & alias ad alendos pauperes, infirmos, aliosque, qui aliena opera indigent. Domus hospitales auctoritate episcopi extructæ, *religiosæ* dicuntur, *cap.* 4. *X. de religios. domib.*: & *profanæ* præter ejus auctoritatem. Verum omnia pia loca, licet religiosa, a laicis administrata, apud nos profana audiunt: quæ vero clerici procurant, religiosa. *Concordat. cap.* 5. Olim sine distinctione in episcopi potestate (etiam civili) erant hospitales domus, *Conc. Chalced. can.* 8.: id enim constituerunt Christiani principes, in primis Justinianus *L.* 42. *L.* 46. *C. de episc. & Cler. Nov.* 123. *c.* 23., qui etiam earum bona inter bona Ecclesiastica recenset *L.* 23. *C. de SS. Eccl.* Postea ab episcoporum potestate hospitales domus subductæ sunt. Eam restituere Concilia Viennense, *Clement.* 2. *de Religios.*, & Tridentinum

sess.

sess. 7. *de ref.* *c.* 15. & *sess.* 22. *de ref.* *c.* 8., cujus decreta recepta non sunt. At ex Concordato *cap.* 5. *n.*1. & *seqq.* hospitalia, quæ sub Regum immediata protectione sunt, etiam in spiritualibus eximuntur ab episcopi potestate, & visitatione: quæ vero a laicis administrantur tantum in spiritualibus visitant episcopi; quæ a clericis, visitant episcopi in spiritualibus, & temporalibus. Et quoad rationes administrationis a piorum locorum officialibus reddendas, ne receptum quidem est Tridentini decretum *d. sess.* 22. *cap.* 9. Vide *Concord. d. cap.* 5. *n.* 2.

§. 242. Monasteria sunt regularium ædes; quibus constituendis præcedere debet episcopi diœcesani consensus, *Con. Chalced. can.* 4. *Justin. Nov.* 5. *cap.* 1., *Espen. p.* 1. *tit.*24. *cap.*3.; necnon civilis potestatis. Ea in spiritualibus origine sua potestati episcoporum subsunt, uti & alia loca sacra, ac religiosa, *cap.* 8. *X. de relig. domib.* Postmodum exemtiones hierarchiæ ecclesiasticæ ordinem turbarunt: quibus a Tridentino modus impositus est *sess.* 25. *de regular. cap.* 5. 9. & 11. & *sess.* 21. *de ref. cap.* 8.

CAP.

C A P. XI.

DE BONIS ECCLESIASTICIS : UBI DE PRIMITIIS, OBLATIONIBUS, ET DECIMIS.

§. 243. NUnc de bonis ecclesiasticis *temporalibus*. His indiget Ecclesia ad sacros ministros alendos : & vel ab ipsis Christi temporibus ea possedit ; *Augustin. in can. habebat.* 12. *q.* 1. *Act.* 4. *v.* 32. . At per duo Sæcula mobilia tantum . Postea prædia possidere cœpit ; uti ex Eusebio *de vit. Constantin. II.* 37. , & *Hist. IX.* 10. Res autem Ecclesiæ acquirebantur per fidelium oblationes , seu donationes ; *Lucas Act.* 4. *v.* 34. *Justinus M. Apol.* 11. *Tertull. Apologetic. c.*39. ; quæ ubi multæ erant , pauperioribus Ecclesiis ab Ecclesiis majoribus conferebantur . *Cyprian. ep.* 60.

§. 244. Post pacem a Constantino Ecclesiæ datam , non oblationibus solum , sed & testamentariis, legitimisque successionibus , necnon aliis acquirendi modis Ecclesiastica bona excrevere . Constanti-

nus in *L.* 4. *C. Th. de episc. & Cler.*, cum antea Ecclesiæ non possent ex testamento capere, iis posse bona relinquere, cuique liberum esse voluit : quod a sequentibus Impp. confirmatum fuit; *Gothofred. in L.* 20. *C. Th. eod.*, *Bingh. V.* 4. Aliaque liberalitatis erga Ecclesias suæ Imperatores signa dedere, Præcipue autem Ecclesiastici proventus oblationibus primitiis, & decimis, aucti sunt. *V. Murator. Diss.* 67. & 68. *Antiq. Italic.*, & *Sarp. in mater. Beneficiar.*

§. 245. Oblationis vocabulum stricte acceptum significat res mobiles, & munera, quæ fideles ad altare, vel extra, sponte offerunt. Primum ad altare oblationis tempore, qui in Eucharistia communicabant, offerebant; præsertim panem, & vinum; *can.*4. *Apostol.* Hujus oblationis loco missæ honorarium successit. Deinde erant oblationes in Ecclesiæ usum. Hinc *gazophilacium*, sc. locus in exedris Ecclesiæ, quo hujusmodi oblationes deponebantur. *Conc. Carthag.*4. *can.*93. Tandem quædam offerebant Christiani in mortuorum exsequiis, Ecclesiarum dedicationibus, sacramentorum susceptione, aliisque sacris officiis. *Gregor. Nazianz. orat.* 40.

de

de baptism. Verum eorum, qui in Eucharistia non communicabant, oblationes minime recipiebantur, *Conc. Illiber. can.* 28.: immo oblatio restituebatur ei, qui postea hæreticus evadebat. *Tertull. de præscript. cap.* 30. Oblationes spontaneæ erant: nisi quod panis, & vini eucharisticæ illæ oblationes ferme necessario fieri debebant, *Cypr. de opera, & eleemos. August. serm.* 215. *de tempore*; etiam a monachis, *Hieron. ep.* 1. *ad Heliodor.* At quoniam labentibus annis Clerici unde se alerent, non habebant, inde piæ offerendi consuetudines in necessitatem versæ; *cap.* 42. *X. de simon.*; atque inde parœcialia jura, cum Ecclesiæ inopes erant. Tridentinum vero *sess.* 21. *de Ref. cap.* 1. vetuit quidquam quocumque titulo, etiam sponte oblatum, in ordinationibus acci posse. Tandem oblationes parœcialis Ecclesiæ sunt; nisi aliud sit privilegium, aut consuetudo cujusdam Ecclesiæ, *Barbosa de off. parochi cap.* 24.

§. 246. Primitiæ sunt primi rerum fructus, Ecclesiæ offerendi. Id & apud Gentes, & apud Judæos moris erat. Apud Christianos ante decimas primitiæ receptæ sunt, *Orig. contra Cels. Lib.* 8.;

tum ut gratiæ Deo redderentur; tum ut inde Clerici se alerent; *can.* 4. *Apostol.* Diu in Ecclesia hoc institutum viguit: ejus fata eadem, quæ decimarum. Hodie primitiæ, si talis sit loci consuetudo, exiguntur.

§.247. Jam vero fuit Judæis lex de solvendis decimis; nimirum decima parte fructuum terræ, & pecudum: quod tributum Deus indixit; ac præberi jussit Levitis, & sacerdotibus, qui in divisione terræ Chanaan partem non habuerunt. Illa quidem lex, utpote civilis, & judicialis, Christianos non obligabat. Decimæ vero ut Clerici se alerent in Occidentali Ecclesia postmodum inductæ, præsertim Sæc. VIII., cum ferme omnes Ecclesiarum reditus a laicis, & militibus possidebantur. Siquidem olim spontaneis oblationibus, uti dictum est, Clerici vivebant. *Espen.* *p.* 2. *tit.* 33. *c.* 1.

§. 248. Ex Decretalium Jure *prædiales* decimæ debentur ex prædiorum fructibus; *personales* ex rebus industria acquisitis, uti ex venatione, negotiatione, militia; & *mixtæ* ex utrisque, uti pecorum fetus, lac, lana, similes. Cum vero Ecclesiis omnibus bona addici cœperunt, pa-

roe-

rœcialium Ecclesiarum fuit jus ad decimas cujusvis generis exigendas intra earum fines, *cap.* 29. *X. de decim. cap.* 2. *de restit. spoliator. in VI.* Ipsæ vero decimarum species a laicis acquiri possunt; *S. Th.* 2. 2. *q.* 86. *art.* 3.; & reipsa acquisitæ.

§. 249. Profecto Ecclesiæ res laicis, & militibus loco stipendiorum datæ sunt, Principum liberalitate, & episcoporum consensu, *Murat. diss.* 72. *Antiqu. Ital. Jo. Filesacus de sacrilegio laico.* Tum episcopi bona Ecclesiastica concedebant, ut milites haberent, utque consanguineis prospicerent suis; *can.* 3. *caus.* 16. *q.* 7. Bona autem Ecclesiæ, & decimæ in laicos translatæ, dicebantur *Ecclesiæ*, & *altaria*; quæ ideo ab episcopis, & regibus ob militiam concessa, uti feuda, ad heredes deferebantur; *De Marca not. in can.* 7. *Conc. Claromon.* Ea autem bona a laicis episcopi Sæc. X. repetere cœperunt: & damnatæ fuere novæ decimarum acquisitiones Synodo Lateranensi sub Alex. III. *cap.* 19. *X. de decim.* Præterea post Sæc. IX. *Ecclesiæ*, & decimæ monachis, & canonicis acquisitæ sunt, sive ex dono episcoporum, vel summi Pontificis, sive cum horum consensu ex laicorum liberalitate.

Hinc Ecclesiarum translatarum nominé annuus census episcopis pendi debebat, *can.* 4. *caus.* 1. *q.* 3. *V. Espen. p.* 2. *tit.* 33.

§. 250. Ad jura autem parœciarum, quoad ejus fieri poterat, tuenda, post decimarum concessionem laicis, monachis, aut canonicis factam, decimæ *novales* ex agro novali, & *minutæ* ex fructibus minoribus, uti leguminibus, oleribus, Ecclesiæ cedunt parœciali; *cap.*29. *X. de decim.* Qui vero nec privilegio, nec præscriptione, nec pacto eximuntur, ad decimarum præstationem tenentur. Sed cogi non possunt per excommunicationem; uti erat Tridentini decretum *sess.* 25. *de ref. cap.*12., nullibi receptum. Verum quoad decimarum exactionem, nonnisi mores servantur. Quin Regis nostris litteris decimæ sublatæ sunt, modo parochi congruam habeant ex aliis reditibus sustentationem.

§. 251. Post oblationes, primitias, & decimas, de prædiorum ecclesiasticorum acquisitione videamus. Ecclesia, quæ, uti modo dictum est, olim illicitum collegium existimabatur, cui nec donari, nec hereditas relinqui poterat, *L.* 8. *C. de her. inst.*, *Ulp. Fragm. tit.* 22. §. 6., Sæculo III. fundos possedit; ac etiam hereditario titulo acqui-

acquisivit, *L.* 1. *C. de Ss. Ecclesiis*, *L.* 1. *C. Th. de bon. Cleric.*; modo filii minime bonis privati essent, *August. serm.* 49. *de divers.* Postmodum innumeris bonos, & latifundiis Ecclesiæ locupletatæ, ob sententiam illam, regnum Cœlorum largitionibus hujusmodi obtineri, *Salvian. advers. avar. Murat. diss.* 67. *Antiqu. Italic.*, ob divitum vitam monasticam, ob pœnitentiarum redemtiones, & ob precarias, sc. concessiones prædiorum, quas Ecclesiis fideles faciebant, retento usufructu; immo duplo etiam, & triplo ejus ususfructus ex Ecclesiæ bonis. Ita excrevere *alodia*, & *patrimonia* Ecclesiarum. Adde Regnorum oblationes, *Murat. diss.* 71. & 72. *Thomass. p.* 3. *lib.* 1. *c.* 32., & 41., Feuda, & Regalia, quibus Ecclesiæ Occidentis, & Monasteria aucta sunt. Quoniam vero Ecclesiastica bona & alienari prohibita, & oneribus publicis exemta, mortua civitati viderentur: hinc de vetita *amortizatione* leges; de quibus vide primam nostri Juris Regni partem.

§. 252. Civile autem bonorum ecclesiasticorum dominium Ecclesiæ est, cui

ea sunt addicta. Sed Clerici iis moderate uti debent, *Conc. Carthag.* 4. *can.*15. *Trident. sess.* 25 *de ref. c.* 1.; eorumque fructus in Ecclesiarum sine luxu constructionem, vel reparationem, in pauperum sustentationem, *Jo. Launojus de cur. Eccles. pro miser.*, aliosque pios usus erogare, si habeant, unde se alant. *Can. Apostol.* 41. *Conc. Antiochen. can.* 25.: quicquid alii dicant. Merces quidem operariorum est verum laborum pretium: quæ vero sacris ministris dari præcipitur, est vitæ sustentandæ medium; *Estius in* 1. *ad Timoth. V.* 18. *Espen. p.* 2. *tit.* 32. *cap.* 4.

§. 253. Rerum Ecclesiæ cura olim penes unum erat episcopum, *cum presbyterorum conscientia, diaconorumque*, *Conc. Antioch. can.*25. Postea *Oeconomi* instituti. Reditus autem Ecclesiæ viduatæ ut integri futuro episcopo reserventur, cavit Conc. Chalcedonense *can.* 25.; sed id intelligendum de iis, qui supersunt post necessaria impendia, monet Zonaras. Hodie Oeconomi, sede vacante, episcopo rationes reddunt administrationis, *Trid. sess.*25. *de Ref. c.* 16.. Quod vero viduatæ Ecclesiæ bona a Clericis, & laicis diripieban-

bantur, Regia Ecclesiarum vacantium custodia invaluit, *Thomass. p. 3. Lib.2. c. 54.* Et apud nos, Nortmannis, & Svevis imperitantibus, id negotii *Ballivis* datum est, qui tamen vix recte administrabant; *Const. Regni pervenit*. Sed ab Andegavensium ætate tantum sub Regia custodia sunt vacantes Ecclesiæ Cathedrales Regiæ nominationis. Alicubi etiam Reges episcopatuum vacantium fructus suos fecerunt; Id *Regalia* audit. Vide de Marca *VIII. 19.*

§. 254. Jam vero quod in pios usus impenditur, non ex fundis Ecclesiæ, sed ex fructibus erogari oportet. Nam & Canonibus, & legibus vetita alienatio rerum Ecclesiasticarum, *L. 14. & 17. C. de S. S. Eccl. Nov. 7. c. 1. Conc. Carth. 5. can. 4.*; ne Clericis, ac pauperibus deficiat, quod vitæ ducendæ necessarium est. Alienatio autem hic significat quamcumque redituum, vel liberi juris deminutionem. Et ex Decretali Pauli II. ultra triennium Ecclesiæ res locari nequeunt, *Extravag. ambitiosæ de reb. Eccl. non alienand. in Comm.*: quod non ubique servatur. Verum enim vero ex justa causa, ex legitimis sollemnibus possunt Eccle-

clesiæ bona alienari. Justæ causæ sunt necessitas, veluti si æs alienum ex fructibus Ecclesia solvere nequeat; pietas, veluti ob captivorum redemptionem, vel pauperum alimenta; & utilitas, veluti si in emphyteusim concedantur ruinosæ ædes, vel steriles fundi. Sed & sollemnia a Canonibus statuta, in hujusmodi justis alienationibus serventur oportet. In Synodo Provinciæ decernebatur olim alienatio; *can.* 53. *caus.* 12. *q.* 2.: postmodum ex Cleri consensu, atque episcopi auctoritate; *can.* 52. *caus.* 12. *q.* 2.; vel solius episcopi, si res sit Ecclesiæ, quæ collegium non habeat, *Rebuff. in compend. alienat. rer. eccl.* Id vero abrogatum a Paulo II. in dicta extravag. *ambitiosæ*, qua cautum, ne fierent rerum Ecclesiasticarum alienationes *inconsulto Romano Pontifice:* quod apud nos receptum, vix alicubi. Verum ex rite facta alienatione si grave damnum patiatur Ecclesia, beneficio gaudet restitutionis in integrum; *cap.* 1. *X. de in integr. restit. Espen. p.* 2. *tit.* 36. *cap.* 4.

CAP.

C A P. XII.

DE ORIGINE, NATURA, ET DIVISIONE BENEFICIORUM.

§. 255. Nunc de beneficiis acturi, ab eorum natura, uti par est, exordiamur. Quemadmodum in Feudali Jure *Beneficii* vox prædium fiscale indigitat, quod ex dantis *beneficio* militibus, aliisque conceditur, *Cangius V. Beneficium*, ita cum Ecclesiæ prædia, & res immobiles Clericis, utpote Ecclesiæ militibus, ad usum dari cœperunt, (quando, incertum est), beneficia quoque appellata sunt. Per multa Sæcula ecclesiasticorum proventuum dispensatio penes episcopos, eorumve Oeconomos & Archidiaconos, permansit. At vigente adhuc dispensandi ratione, prædia Clericis concessa fuere, uti ex Symmachi Papæ, qui obiit anno 514., epistola *caus. 16. quæst. 1. can. 61.*: non tamen frequenter, neque adhuc lege ordinaria, sed ex necessitate quadam, vel ob singularia cujusdam Clerici merita. Postmodum quia querelæ, ac dissentiones cir-

circa injustas proventuum distributiones emersere, primo singuli presbyteri sibi arrogarunt oblationes in propria Ecclesia factas, quæ antea ad episcopum dividendæ ferri consueverant: tum etiam passim dividi Ecclesiæ fundi cœpere: quod non eodem tempore, nec ubique, nec decreto quodam introductum fuit.

§. 256. Ad Feudorum exemplum videtur etiam, primitus res Ecclesiæ jure *Beneficiario* ad Clericorum vitam datas fuisse, ut ii non jure tituli possiderent, sed *personali* jure; adeout post eorum obitum illæ ad episcopi dispositionem reverterentur. Datæ autem Clericis fuere, ut Ecclesiæ *militarent*, seu *propter officium*, Bonif. VIII. *in cap. fin. de Rescriptis in 6.*, ubi beneficium accipitur pro jure percipiendi proventus. Tandem independenter ab episcopis jus fructus percipiendi non personis, sed Ecclesiis, seu titulis adnecti cœpit; itaut qui titulum haberet, jus illud consequeretur. Atque ideo titulus ipse nomen *beneficii* obtinuit; cui accessorium consideratur, non principale, jus percipiendi proventus.

§. 257. Beneficium definitur a canonistis, jus perpetuum percipiendorum fructuum

ctuum ex bonis Ecclesiasticis, seu Deo dicatis, propter officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum. A Theologis vero uti principale ponitur jus perpetuum ministrandi in Ecclesia. At hoc principale etiam videtur in canonistarum definitione: adeout Ecclesia eodem veteri spiritu procedens, beneficia Clericis assignata voluerit, ut qui altari servit, de eo vivat; nec ullum sine officio beneficium esse queat. Dicitur jus *perpetuum*, h. e. *ad vitam* Beneficiati, qui ex ratione vocationis perpetuo in sua Ecclesia manere debet: natura ideo veri Beneficii amittitur, si illud fiat ad *nutum* revocabile. Tandem auctoritate Episcopi constitutum sit, oportet; sine qua nec ordines conferuntur, nec Ecclesiasticis ministeriis quis applicatur, nec olim proventus dispensabantur. Ac sine ea legatum simplex cum onere missarum, beneficium dici non poterit. Quin licet episcopus concesserit facultatem celebrandi Missas fundatas ad certum altare, aut Capellam, hæc fundatio non censebitur Beneficium; nec capellaniæ perpetuæ, nisi auctoritate episcopi in titulum beneficii fuerint erectæ, *Pyrrus Corrad. Prax. Benef. l.* 2, §.258,

§. 258. Beneficia, quibus præeminentia cum jurisdictione adnexa est, sive ex institutione, sive ex consuetudine, *Dignitates* appellantur. *Rebuff. Prax. Benef. p.* 1. Hæ ita sumtæ olim incognitæ erant; ac præeminentia, & dignitas a solis ordinibus, quibus Ecclesiastica munia, & jus percipiendi proventus adnexa erant, dignoscebatur. Immo cum Canonici in communi, quasi Regulares vixerunt, quæ dignitates dicuntur, simplicia erant officia. Sed hæc, deserta a Canonicis vita communi, cœperunt erigi in titulos Beneficiales, & sensim etiam in dignitates. Hinc magis Beneficia, & Dignitates, quam ipsi ordines in pretio vulgo haberi solebant.

§. 259. Personatus autem dicitur quædam prærogativa in Ecclesia sine jurisdictione, dum quis habet stallum in choro præ aliis honorificum, & in aliis publicis actibus præeminentiam: at Dignitas proprie est cum administratione conjuncta; aliter erit *ventosa*, uti Fagnanus ad *cap. ad hæc de præbendis n.* 22. Sane XI. Sæc. Ecclesiarum *personæ* dici cœperunt ii Clerici, qui Ecclesias, etiam parochiales obtinebant, sed spirituale offi-

ficium committebant alicui presbytero, quem *Vicarium* suum dicebant. Hi titulum sine officio retinebant; nihilque aliud præter proventus, & certa honoris insignia. Voces vero Dignitatis, & Personatus cum large sumuntur, pro synonimis habentur. Ut autem dijudicetur, quæ pro dignitate, quæ pro officio haberi debeant, & institutio, & Ecclesiarum consuetudo inspicienda est. Idipsum inspiciendum, si quæratur, quæ inter Dignitates sit major, ex gr. Archidiaconatus, uti est de Jure communi, an Archipresbyteratus.

§. 260. Dividuntur Beneficia in *Regularia*, & *Sæcularia*; idque ex quo ipsa Claustralia officia in Beneficia, & dignitates degenerarunt. Regularia dicuntur, quæ Religiosis addicta sunt, aut per Regulares regi debent. Quod esse potest vel natura sua, quia officium hisce Beneficiis adnexum Regularium disciplinam, ac regimen spectat, uti Abbatiæ, Prioratus; vel ex fundatione, quia fundator, & Episcopus Beneficium ordinarunt, ut per Regularem regeretur; vel ex præscriptione, sc. 40. annorum, uti Glossa, & DD. *in cap.* 5. *de Præbendis in VI.* At

si

si Regularibus esset collatum ex dispensatione tanquam sæculare, aut ob defectum sæcularium commendatum, nec longissimi temporis possessio sufficit ad mutandam Beneficii naturam, *Rebuffus ad Concordata tit. de Collationib.* Ex præscriptione 40. annorum regulare beneficium redditur sæculare; & viceversa, ut dictum est. Id obtinet, si vera qualitas Beneficii probaretur: aliter ultimus status attenditur, *Pyrr. Corrad, Prax. Benef. I. 6.*

§. 261. Sæculare Beneficium dicitur, quod Clericis sæcularibus est addictum: Et ita omne Beneficium presumi, regula est, Tantum Capellæ fundatæ in Monasterio præsumuntur Regulares, (nisi per sæculares teneri sint solitæ), & Beneficia, quæ non tantum in Monasterio sint fundata, sed ipsum regimen monasticum proprie spectant. Quare ea regula intelligenda est de Beneficiis extra Monasterium in Ecclesiis sæcularibus fundatis; aut quæ ad populi, aut Cleri directionem pertinent: cum Regulares vitam contemplativam, & solitariam vivere debeant. Alia regula recepta est, Beneficia Regularia Regularibus, sæcularibus sæcula-

laria conferenda. Et si Beneficia Regularia simplicia sint, ut Præbendæ, portiones monachales &c., non requiritur actualis professio, neque habitus regularis, Fagnanus *ad cap. cum causam X. de elect. n.* 34. Secunda pars regulæ certa est de Beneficiis sæcularibus non curatis, uti sunt Canonicatus, Capellaniæ, quæ sine dispensatione Summi Pontificis Regularibus conferri nequeunt. At dubitatum est, an hi possint ad sæcularia Beneficia curata promoveri de suorum Prælatorum, puta Abbatis, consensu, ab Episcopo sine dispensatione? Et affirmat Fagnanus *ad cap. quod Deo timorem X. de statu Monach.*

§. 262. Præterea Beneficia dividuntur in *curata*, & *simplicia*. Illa dicuntur, quæ animarum curam adnexam habent, sed quoad forum interius, sive conscientiæ (non externum, & contentiosum jurisdictionis spiritualis, ad quod pertinet inquirere, suspendere, excommunicare, a censuris absolvere, & alia), & regimen animarum *ars artium* dictum Innocentio III. *in cap.* 14. *de ætate, & qualit. Ordinand.* Beneficia vero, quæ nullam habent animarum curam, *simplicia* vocitantur, *Greg. IX. in cap. fin. de*

Præbendis. Ita est Canonicatus Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum: etsi in materia odiosa simplicium Beneficiorum nomine non veniant, quia ob eorum eminentiam ipsis Dignitatibus comparantur, *cap. statutum de Rescript. in VI.*. Ita etiam sunt Capellaniæ, sive Capellæ, tum in Cathedralibus, & collegiatis Ecclesiis; tum in particularibus sacellis, vel Oratoriis fundatæ. Capellam dicunt quando est Ecclesia per se; Capellaniam vero altare in aliqua Ecclesia. De voce *Capellæ* vide Cangium. Sane Regum, & Principum exemplo alii fideles laici cœperunt extruere ædiculas, sive Oratoria, seu sacella, & Capellas cum propria dote: tum etiam in aliis Ecclesiis altaria cum annuo proventu pro presbyteris, qui iis præessent. De Capellis statutum legitur in Capitular. Reg. Franc. *V.* 182., *ne Capellæ in nostro Palatio, vel alicubi, sine permissu episcopi, in cujus est Parochia, fiant*. Hinc omnia sacella, & altaria ubique Episcopi consensu constructa reperiuntur, & eadem auctoritate in titulum Beneficii erecta, uti Espenius, *J. Eccl. p.* 2. *sect.* 3. *tit.* 1. *n.* 17. Ut plurimum Capellaniæ adnexum habent
onus

onus persolvendi Missarum sollemnia. *Missæ* nomine olim veniebat divinum officium, & Evangelii explanatio; postmodum *missa privata*. Fundationes vero missarum laicales præter episcopi auctoritatem sunt; & bona similis fundationis non Ecclesiastica, sed laicalia censebuntur, atque ad heredes devolventur cum onere a fundatoribus imposito; publicisque oneribus erunt subjecta, *Barbosa Jur. Eccles. III.* 5.

CAP. XIII.

De ætate, et qualitate beneficiandorum.

§.263. Per X. Sæcula per Canones tantum ordinibus præscripta ætas fuit; quia ab ordinatione Beneficia minime erant sejuncta. Post hanc separationem abusus invaluit conferendi Beneficia iis, qui ætatem ordinibus, ac functionibus Beneficiorum obeundis necessariam nondum attigerant: immo & in minori quoque ætate constitutis. Proinde certa ætas pro obtinendis Beneficiis præfigi cœpit. *Thomass. discip. p.* 1. *Lib.* 1. *c.* 45.

§. 264. In Concilio Lateranensi sub Alex. III. anno 1177. statutum fuit, quod nullus ad Beneficia curam animarum adnexam habentia promoveri queat, nisi qui 25. ætatis annum attigerit: ætas vero requiritur independenter ab ordinibus: adeo quidem, ut qui per dispensationem ante annum 25. inchoatum ad presbyteratum esset promotus, non possit ad dictum Beneficium promoveri. Hoc decretum confirmavit Tridentinum *sess.* 24. *de Ref. cap.* 12: addiditque, *ad ceteras autem Dignitates, vel Personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & 22. annis non minores adscribantur*, h. e. completo anno 22. Tum *sess.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* decernit, quod *nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante* 14. *annum Beneficium obtinere possit*. Et Sacra Congregatio, teste Fagnano *ad cap. inter cetera*, declaravit sufficere inchoatum esse annum 14. Ante hanc ætatem nullum Beneficium obtineri potest; nec quis præsentari a laico patrono: quia, ut ait Zipæus in *Jure novo tit. de Jure patronatus*, *id ad mutationem, aut diminutionem Juris Patronatus*

tus non spectat, sed qualitatem præsentandi tantum. De novissimo Concordato nostro, actum est supra §. 119. Tum communis fert opinio, ob Canonicatus in Ecclesiis Collegiatis etiam 14. annum requiri; nisi iis ex fundatione, aliove titulo adsit onus Missas, Evangelium, aut epistolas dicendi, aut cantandi: qua in specie talis requiritur ætas, ut infra annum ad ordinem pro eo onere quis promoveri possit, *Trid. sess.* 22. *c.* 4. *de Ref.* Canonicatus vero Cathedralium requirunt ordinem saltem subdiaconatus, *sess.* 24. *cap.* 12. Ceterum super ætate sive ad ordines, sive ad Beneficia, dispensari potest, non tamen ab episcopo, *Pyrr. Corrad. in prax. Dispens. IV.* 1. At sicuti nihil olim statutum de ætate ad Beneficia requisita, ita nihil de certo ordine requisito ad ea: quod etiam invaluit postquam Beneficiorum provisio ab ordinum collatione separata fuit.

§. 265. Sane post eam separationem cœperunt Beneficia conferri iis, qui nondum initiati erant in ordinibus necessariis ad functiones Beneficiorum obeundas. Hinc ordo Beneficio adnecti cœpit, & quidem ex novissima disciplina adnexus dicitur

interdum *actu*, aliquando *habitu*, vel *potentia*: primum, si ordo requiritur tempore collationis, sive provisionis Beneficii: alterum si id non requiritur quidem, sed quis in ea est ætate constitutus, ut intra tempus a Jure præscriptum possit ordinem suscipere: quod tempus, nisi aliud ex fundatione, statuto, aut consuetudine speciali Ecclesiæ determinatum sit, a Jure communi ita statutum est, ut quis ad ordinem infra annum promoveri debeat, *cap.* 4. *de elect. in VI.*, *&* *Clementina* 2. *de ætate*, *&* *qualit. Ordinand.*, quam declarat, & confirmat Tridentinum *seff.* 22. *cap.* 4. *de Ref.* Annus vero currit a tempore pacificæ possessionis; *cap.* 35. *de elect. in VI.* Beneficium autem Parochiale assumi potest non solum ab eo, qui subdiaconus jam est, sed & a prima tonsura initiato. Sin intra annum ordo non suscipiatur in Parochiali Beneficio, pœna est privationis ejus *ipso jure*, *cap. commissa de elect. in VI.*, cum restitutione fructuum. At illud *ipso jure* locum non habet in aliis Beneficiis, neque in Ecclesia curata non parochiali, sed monitio necessaria est.

§. 266. Præterea quædam qualitates re-

requiruntur in providendo de Beneficio: & primum ſcientia talis, quæ neceſſaria ſit obeundo officio, ſive Beneficio, prout hoc erit; & major in curatis, & Dignitatibus. Quandoque ex lege fundationis Beneficia conferri poſſunt certo generi perſonarum; v. g. Clericis ejuſdem Eccleſiæ, Cantoribus, aliiſve certis qualitatibus inſignitis. In Capellaniis autem ad quas vocantur conſanguinei proximiores, facienda computatio eſt ſecundum leges, *Garcias de Benef. parte 7. c.* 15. Quoniam vero in Beneficiis Eccleſiaſticis omnis ſpecies hereditariæ ſucceſſionis vitanda ſit, neque miniſteria ſecundum ſanguinem, ſed ſecundum merita ſint diſtribuenda, idcirco ea conditio fundationi haud facile adjicienda, neque facile a Prælatis admittenda: admiſſa vero, eſt reſtringenda, utpote odioſa, intra verborum rigorem.

CAP. XIV.

DE BENEFICIORUM PLURALITATE.

§. 267. CUm antiqui Canones prohibeant, aliquem duabus Eccleſiis adcribi, vel intitulari, reipſa prohibuerunt

quoque plura in diversis Ecclesiis Beneficia ab eodem possideri. Ita Conc. Chalced. *can.* 10. relatus a Gratiano *caus.* 21. *quæst.* 1. *can.* 2. *Negotiationis enim, & turpis lucri proprium est, & ab Ecclesiastica consuetudine alienum*, dixerunt Patres Synodi septimæ *can.* 15. Sane omne Beneficium ex institutione personalem residentiam, & officium requirit. Quare ad hanc prohibitionem quod spectat dici potest, rem ipsam ante nomen fuisse.

§. 268. Invaluit autem pluralitatis Beneficiorum abusus, cui ut remedium efficax afferretur, & ut Pastores ad residentiam adigerentur, a Tridentinis Patribus agi cœpit. Et *sess.* 7. *c.* 2., & 4. improbat Synodus pluralitatem non tantuum Cathedralium Ecclesiarum; sive episcopatuum, sed etiam curatorum, aut alias incompatibilium Beneficiorum, reprobatis illis fictitiis titulis, & involucris unionis ad vitam, & commendæ perpetuæ. Tum *sess.* 24. *cap.* 17. *de Reform.* declarat, Beneficia esse incompatibilia, si residentiam personalem requirant, sive ratione curæ animarum, sive ratione servitii. Tandem quoad Beneficia personalem residentiam non requirentia, distinguit Con-

Concilium, ad vitam honeste substentandam sufficiat Beneficium, necne. Et in prima specie non potest obtineri secundum, licet simplex, & residentiæ non obnoxium: in altera potest aliud simplex sufficiens, modo utrumque personalem residentiam non requirat. Quantitas vero, ut Beneficium dicatur sufficiens, minime determinatur.

§. 269. Quoniam vero impossibilitas satisfaciendi oneribus plurium Beneficiorum, ad quam attendit Concilium, sæpe cessat, si Beneficia sint in eadem Ecclesia, habeantque officia diversi ordinis, & generis adnexa, quæ *difformia* dicuntur, etiam tunc incompatibilitas illa cessare videtur. Quare consuetudini permittenti, quod in eadem Ecclesia Dignitates, vel Beneficium curatum cum Canonicatibus teneantur, non est derogatum a Tridentino.

§. 270. Incompatibilitas autem dividitur in *primi*, & *secundi generis*. Ex illa per asecutionem pacificam secundi *ipso facto* vacat primum; uti de Beneficiis curatis, Dignitatibus, & personatibus statuit Lateranense *in cap. de multa de præbendis*, & Joann. XXII. *in extravag. execrabilis*

bilis de præbendis in Commun. His addunt Canonistæ duo Beneficia *uniformia*, licet sint simplicia, *sub eodem tecto*, idest in eadem Ecclesia *ex cap. 9. de concess. Præbendæ non vacantis.*

§. 271. Incompatibilia *secundi generis* vocantur, quæ simul retineri non possunt, sed quorum primum tamen non vacat ipso jure per assecutionem *pacificam* secundi; & dicuntur propterea incompatibilia *quoad retentionem*: ita sunt duo Canonicatus, aut duo Cappellaniæ residentiam requirentes; item Canonicatus, & dignitas, aut etiam Beneficium curatum; nimirum in diversis Ecclesiis. Ad vacationem Beneficii, per assecutionem alterius incompatibilis primi generis, non sufficere ejus collationem fuisse etiam acceptatam, sed requiritur ejus pacifica possessio, aut saltem ut per eum steterit, quo minus eam acceperit, ne obtentu litis fraus Canonibus fieret. Ut autem Beneficiorum pluralitas justa, & licita reddatur, requiritur causa legitima, quæ mala pluralitati adnexa abstergat, probata per Pontificiam dispensationem. Pontifex vero non est dominus, sed dispensator. Verum qui iniquam dispensationem pe-

petit, iniquitatis causa est: & quæri ab illo debet, non ut liceret, sed potius an liceret.

CAP. XV.

DE ORDINARIA BENEFICIORUM PROVISIONE.

§. 272. Quoad Beneficiorum collationem, *Ordinarii* nomine non venit tantum episcopus, sed etiam quivis alii, quibus quocumque titulo competit jus collationis nomine *proprio*, & jure *suo*, ac *ordinario*, & non ex alicujus speciali delegatione pro hac, illave vice. Si vero ipsum primævum jus collationis inspiciatur, id primario, & quasi naturali jure competit episcopis, quoad omnia Beneficia quandocumque, & quomodocumque vacantia, *Card. De Luca in summa Beneficiorum tom.* 1. §.2. *n.* 6.: qui tamen addit; *nisi ex Apostolica concessione, seu immemoriali consuetudine, vel præscriptione alteri inferiori Prælato istud jus in aliquibus Beneficiis quæsitum sit*. Sane quamdiu Beneficia a sacra ordinatione sejun-

ßa

nebit ipſos Beneficiatos examinare, inſtituere, iiſque curam animarum committere; licet jus præſentationis, collationis, aut electionis ad inferiores translatum ſit. Collatio autem Beneficiorum quamdiu ordinationi juncta fuit, *ordinis* epiſcopalis dicebatur; nunc vero *juriſdictionis*; & quidem voluntariæ: Quare hoc jus tranſit in Capitulum, ſede vacante. At ſi ad ſolum epiſcopum ſpectet *libera* collatio, Capitulum, ſede vacante, futuro epiſcopo eam reſervare debet, *Cap. un. de ſede vacante in VI.* Ratio autem, quæ affertur, quia Beneficiorum collatio refertur inter fructus, profana eſt, *Fleur. Inſt. Can. p.* 1. *c.* 15. Potius ex conſuetudine deducenda eſt, quæ a generali devolutione juriſdictionis in Capitulum, exemit hanc Beneficiorum collationem, utpote quaſi primigenio jure competentem epiſcopo; maxime cum eſt libera electio.

§. 274. Jam vero collatio definitur adſignatio, ſeu conceſſio Beneficii vacantis facta ab habente poteſtatem. Dividitur in liberam, & non liberam. Illa dicitur, quæ fit ſolo libero jure collatoris, & proprie *collatio* dicitur. Hæc eſt, quæ fit

ali-

alicui personæ; ex. gr. presentatæ a Patrono, aut nominatæ ab Universitate; proprie dicitur *institutio*. Collatio autem libera differt ab electione, & præsentatione. Per illam acceptatam, etiam ante adeptam possessionem, acquiritur *jus in re*, *cap.* 17. *de præbend. in VI.*. Per hanc, etiam acceptatam, tantum *jus ad rem*.

§. 275. Ex collationis formula apud Barbosam in appendice ad tractatum de officio episcopi *form.*67. habes, eam *motu proprio* faciendam, omissa mentione petitionis, ut omnis ambitus suspicio removeatur, *Fleur. Inst. Can. p.* 2. *c.* 21. Tum modus vacationis Beneficii in ea exprimitur; ac Diœcesis, & Ecclesia, ubi Beneficium situm est; duoque saltem testes omni exceptione majores; & *data* sive dies. Si ab uno, eodemque factæ sint duæ collationes, neque appareat, quæ sit anterior, neutra valet, *Espenius p.* 2. *sect.* 3. *tit.* 4. *c.* 2. Quod si unus prior acceperit possessionem, is præfertur, *cap.* 31. *de præbendis in VI.*

§. 276. Nunc de electione personæ e pluribus deligendæ ad certum Ecclesiæ ministerium, ejusque forma agendum. Proprie electio dicitur, quæ indiget confir-

firmatione: aliter quam Canonici, vel alii eligendo *conferunt*, non est proprie electio, sed vim potius habet collationis. Hinc quædam Beneficia electiva *confirmativa*; quædam electiva *collativa* vocantur. Præter ea, quæ omni electioni communia sunt, multa specialia observanda in electione facienda secundum formam cap. *quia propter X. de electione*, sc. eorum Prælatorum, per quorum mortem Ecclesia remanet *viduata*, & sine pastore, nempe Episcoporum, Abbatum,

§. 277. Triplex forma electionis proponitur a Concilio Lateranensi in *d. cap.*, nimirum per compromissum, per inspirationem quasi divinam, & per scrutinium; itaut aliter facta non valeat. Per compromissum dicitur fieri electio, quando eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, qui vice *omnium* provideant Ecclesiæ viduatæ de pastore, *cap.* 8. & 21. *eod.* In compromittendo autem singulorum ex Capitulo consensus exigitur. At hæc electionis forma rarissima est, quia raro omnes volunt suo suffragio privari. Quare altera forma electionis exprimitur in Decreto Conc. Lateranensis; *nisi forte communiter esset ab omnibus*,

quasi

quasi per inspirationem absque vitio celebrata: Ita communi suffragio, & ab omnibus concordibus animis, quasi divino spiritu afflatis, aliquis eligitur; idque nullo prævio tractatu. Sed & hæc fere inaudita est nostris temporibus electio.

§. 278. Tertia species, eaque principaliter a Concilio determinata, est electio per scrutinium, *præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt commode interesse, assumantur tres de Collegio fide digni, qui secrete, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi: ut is, collatione habita, eligatur, in quem omnes, vel major, & sanior pars Capituli consentit, uti in cit. Cap. quia propter.* Verum quicquid sit ex jure communi de collatione *meriti ad meritum*, quam facere debebant scrutatores, hodie certum est, eam esse obsoletam, & solam collationem *numeri ad numerum* esse notam; ut major pars consentire debeat.

§. 279. At intra quod tempus Beneficia conferenda sunt? Ex decreto Concilii Lateranensis sub Alexandro III. *in cap. 2. X. de concess. præbend.*, intra sex menses, sive per collationem, sive per electio-

ctionem Beneficium providendum est. Episcopatibus autem, & majoribus Dignitatibus regularibus provideri debere intra tres menses, statuit Conc. Lateranense sub Innocentio III. *in cap.* 41. *X. de elect.* At *semestre tempus non a tempore vacationis, sed notitiæ ipsius potius computari*, statuit idem Innoc. *cap.* 5. *de concess. Præbendæ*. Post sex mensium lapsum collatio, aut electio *nulla est*, *cap.*3., *&* 5. *de supp. negl.*, & jus conferendi ab inferiore Collatore devolvitur ad ejus immediatum superiorem, *d. c.* 3.

§. 279. Breviter nunc de Mandatis, & reservationibus Apostolicis. Mandata Apostolica, quæ *de providendo* dicuntur, quia Summus Pontifex de Beneficiis provideri mandat, dicuntur etiam *expectativæ*. Aliquando mandabat Pontifex provideri per *reservationes*. Quo tempore Pontifices mandatis, & reservationibus uti cœperint, incertum est. Certum videtur, mandatorum, & expectativarum usum antiquiorem esse, quam reservationum, saltem generalium. Illorum initia referunt communiter Canonistæ ad Sæc.XII.; & proprie ad Alex. III. Exinde litteræ *monitoriæ*, *præceptoriæ*, & *exequutoriæ*,

quarum frequens mentio in Decretalibus, præsertim Innocentii III., ac signanter *in cap.* 30, 37, 38. & 40. de *Rescriptis*. At hujusmodi mandata Pontifices dedisse pro Clericis pauperibus, jam liquet. Ideo ea dicebantur *in forma pauperum*, vel *in forma cum secundum Apostolum*, ex verbis initialibus *cap.* 16. *X. de præb.* Primus Clemens IV. Sedi Apostolicæ reservavit generaliter Beneficia, quæ *apud eamdem Sedem* vaçare contigerit, *cap.* 2. *de præbendis in VI.* Exinde tot aliæ reservationes, præsertim tempore Schismatis Avenionensis, de quibus, uti & de provisione Apostolica, fuse Espenius *p.* 2. *sect.* 3. *tit.* 6. *&* 7.

CAP. XVI.

DE JURE PATRONATUS.

§. 280. PAtroni nomen, & juris patronatus hodierna significatione non est antiquius Sæculo XIII.: ac monet Florens *de antiquo Jure patronatus*, esse in *cap.* 1. *&* 2. *X. de J. patronatus*, deesse vero in prima Collectione. Nihilominus res ipsa non erat antea omni-

nino incognita. Fundatoris, & fundationis nomine veteres utebantur: & ferme ea tribuebant illis jura, quæ ipsis hodie patronis tribuuntur. Primis Sæculis jura quædam honorifica Ecclesiarum fundatoribus fuerunt concessa virtute *gratitudinis*, *cap.* 24. *X. h. t.* Hinc eorum nomina, & elogia in Ecclesiis sollemniter Sæc. V. inscripta fuere, teste S. Paulino *ep.* 10., & 12. Quin a suis fundatoribus Ecclesiæ nomen acceperunt suum. Jus quoque nominationis, seu *præsentationis*, antiquissimum est, *De Roye de J. patr. c.* 2. Patet etiam ex *L.*46. *C. de sacros. Eccles.*, variisque Justiniani Novellis, præcipue 57. *c.* 2., & 123. *c.* 18.

§. 281. Primis quoque, & mediis Sæculis dati fuere Ecclesiis speciales Defensores, qui & dein Advocati dicti sunt, sed a fundatoribus (qui etiam jus defensionis habebant) plane diversos. Quare Sæc. VI. in Syn. Carthaginensi Africani Patres postularunt, ut Defensores constituere possent ex ordine *Scholasticorum*; idest Causidicorum, *L.* 46. *C. Th. de Decurionib.*; more *Sacerdotum Provinciæ*, quorum curæ etiam apud Gentiles suberant templa, & sacra; qui Defensores

 sem-

ſemper poſſent *Judicum ſecretaria ingredi*; h. e. locum Judicii, qui *Secretum* apud Latinos dicitur, uti notat Zonaras ad eum Canonem. Annuit Patrum poſtulatis Imperator Conſtitutione relata *in L.* 38. *C. Th. de epiſcopis*. Hi Defenſores poſtmodum dici cœperunt *Advocati*, *Capitul. Reg. Franc. VII.* 392., qui eorum origine ad cauſas Eccleſiarum civiles erant, quas agere minus conveniens Clericis exiſtimabatur, *Cang. v. Advocati*. Poſtea plus potentia, quam facundia Eccleſiis opus erat. Hinc non amplius e Scholaſticis, ſed e Proceribus Defenſores Eccleſiarum eligebantur, qui veteri vocabulo & *Advocati* dicti ſunt, & *Vicedomini*, *cuſtodes*, *cap.* 23. *X. b. t.* De his *Advocatis*, & *Vicedominis* eſt tit. 47. *Lib.* 2. *LL. Langobard.* Advocati autem non tantum Monachos, & Eccleſias ab infeſtationibus defendebant, ſed inſuper ipſis, necnon eorum colonis, aliiſque ſubditis juſtitiam adminiſtrabant; non gratis, ſed ordinarie accepta tertia parte *bannorum*, ſive mulctarum, quæ in injuſte litigantes decernebantur. Atque Advocati, præcipue perſonæ illuſtres, Advocationes ſuas aliis in Beneficium,

ſive

ſive in Feudum dabant, & Subadvocatum conſtituebant. Interdum ipſi Principes ſibi Advocatiam reſervabant: uti ex Tridentino *ſeſſ.* 22. *c.* 8. *de Reform.*

§. 282. Diviſio Juriſpatronatus in *laicum*, & *Eccleſiaſticum* hodie recepta, in antiquis Canonibus, ac Juſtiniani Novellis, nota non fuit. Et quidem illud non ſemper eccleſiaſticum eſt, quia competit perſonæ eccleſiaſticæ; niſi illi ratione tituli eccleſiaſtici, ſive Eccleſiæ competat. Quod ratione ſanguinis, aut patrimonii competit, ſemper cenſetur laicum; ſive ſit laicus, ſive eccleſiaſtica perſona, quæ illud obtineat. Clericus enim quoad patrimonialia exiſtimatur laicus. *De Roye de J.Patron. c. 6.* Eccleſiaſticum itaque dicitur, quod competit Eccleſiæ, ſeu ratione Eccleſiæ, ſive Clerico, ſive etiam laicæ perſonæ. Laicale vero appellatur, quod alicui ſive laico, ſive Clerico, competit ratione proprii patrimonii, non Beneficii, vel Eccleſiæ; *Gonz. ad cap.* 5. *X. h. t.* In dubio laicale cenſetur, quia clerici nihil habere præſumuntur in bonis.

§. 283. Præterea jus patronatus dividitur in reale, & perſonale. Reale dicitur, quod fundo, vel caſtro alicui, adhæret,

& a Fundatore adscriptum est; uti ex *cap.* 18. *X. de sent. & re. judic. & cap.* 7. *X. h. t.*, quodque originem habet ab Oratoriis, & sacellis, quæ jampridem viri nobiles circa suos fundos procul ab Ecclesia parochiali extruebant: ac postea in beneficia simplicia, quin in parochiales, & Capitula Canonicorum abierunt. Jus patronatus laicum dicitur personale, quando ex fundatione, dotatione, aliove titulo competit independenter ab aliqua certa re, cui esset adnexum. Observandum est, quandoque Beneficium esse juris patronatus laici, & Ecclesiastici, cum sunt revera duo Patroni, alter laicus, alter ecclesiasticus: & *mixtum* dicitur: *Glossa in cap. un. b. t. in VI. Fagnan. ad cap. cum propter X. h. tit.*

§. 284. At quonam modo acquiri, & probari potest jus patronatus? Primus modus est fundatio, etiam sine speciali reservatione fundatoris, aut concessione episcopi, *cap.* 25. *X. h. t.*, *De Roye*, *in prolegom. de J. Patron. c.* 15.; nisi ab antiquo fundator, eiusve heredes usi non sint jure patronatus: præsumitur enim Ecclesiam liberam fundare voluisse. Id in-

intelligi debet de veris Ecclesiæ fundatoribus, idest qui & fundum, & dotem convenientem conferunt: non enim *fundatio* intelligitur *fundi datio*, sc. solius fundi, in quo Ecclesia ædificari queat: fundatio enim accipitur pro constructione, & dotatione. Quid quod Ecclesia construi sine dote nequeat, *Fagnan. ad cap. quoniam X. h. t.*; ? Neque patronus, sed benefactor dicitur, qui Ecclesiæ non satis dotatæ augmentum dotis confert. Quod si ad fundationem tres concurrant, tunc obtinet vulgare illud, *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

§. 285. Tum acquiri potest jus patronatus titulo præscriptionis ex quasi possessione, cujus contraria memoria non existat, *cap. 1. de præscript. in VI.*, *Trid. sess. 25. cap. 9. de Refor.* Insuper circa Sæc. VIII. Principes bona ecclesiastica, Monasteria, & Parochiales Ecclesias usurparunt, easque suis militibus dederunt in Feudum, vel alodem; ac presbyteros in iis, inconsulto episcopo, propria auctoritate instituebant, iisque privabant: quod postea in Synodis vetitum fuit, *can. neminem 16. quæst. 7.*: & cœperunt presbyteros iis Ecclesiis præ-

ficiendos episcopis præsentare, & ita jus patronatus habere in Ecclesiis, quas in Beneficium, sive alodem acceperant, *de Roye cap.* 17. *d. Prolegom.* Ad hæc patronatus jus privilegio acquiri potest.

§. 286. Nunc videndum, quomodo jus patronatus transferatur. Et Ecclesiasticum transit cum dignitate, vel officio, cui est adjunctum: separatim vero si transferri velit, requiruntur sollemnitates requisitæ in alienatione rerum, & jurium Ecclesiæ. Laicale vero reale transit cum re, cui adhæret, sine episcopi licentia, aliave sollemnitate; etiamsi res, cui inhæret, solum quoad utile dominium transierit: *Espen. p.* 2. *sect.* 3. *tit.* 8. *c.* 4. *cap.* 7. *X. h. t.*

§. 287. Præterea jus patronatus, præsertim *laicale* consideratur, uti temporale. Quare de eo laicus Judex cognoscit contra *cap.* 3. *X. de Judiciis*. Estque transmissibile ad heredes, uti pars hereditatis, una cum reliqua hereditate, sive ab intestato, sive ex testamento; etiam ad heredes extraneos, si nihil in tabulis fundationis occurrat, quod transmissionem ad certas personas ordinet. Cumque illud natura sit individuum, pro conditio-

ne

në indîviduorum tranſit in omnes heredes *in ſolidum*; idque ſive heredes ſint pro æquali, ſive pro parte inæquali: ſicuti Jure civili omnes filii patroni pro virili ſuccedunt liberto; licet inæqualiter a patre inſtituti ſint heredes, *L.* 7. §. 6. *ff. de oper. libert.* Id obtinet quoad honorifica jura: preſentatio vero ita eſt apud omnes ſimul, ut apud nullum ſingulariter ſit, *cap.* 1. *X. h. t.*, & omnes unum ſuffragium habent, quia unum patronum repræſentant, *Clem.* 2. *h. t.*

§. 288. Exiſtentibus vero pluribus patronis, vel unius heredibus, diutius differri poteſt præſentatio ob difficultatem conſenſus patronorum in eamdem perſonam: hinc patroni ipſi inter ſe poſſunt convenire *de Rectore ab eis alternis vicibus præſentando*, *d. Clem.* 2. Qui præſentandi modus vocari ſolet *per turnum*. *De Roye d. Prolegom. cap.* 8. *& ſeq.*

§. 289. In præſentatione potiſſimum jus patronatus conſiſtit. Cum enim Beneficiorum collatio ſejungi cœpit ab ordinatione, patroni non amplius ordinandos, ſed in Beneficiis vacantibus inſtituendos epiſcopo offerre cœperunt. Hæc oblatio vocari ſolet *præſentatio*, quæ certe oritur ex cu-

ra,

ra, quam fundatores, eorumve successores Ecclesiis fundatis impendere debent; *can.* 30. *caus.* 16. *q.* 7. Quapropter *nunquam dixeris, auxiliatrices manus infringere libertatem*; & jus patronatus servitutem esse, sive Ecclesiæ libertatem imminuere; ait apposite *de Roye de J. patr. c.* 5. Olim patroni *adjutores* accedebant episcopo pro inveniendis idoneis sacerdotibus. Hodie vero episcopus tenetur instituere præsentatum a patrono, modo idoneus fuerit. Olim admonitos patronos laicos legimus, ne præsentationem differrent ultra tres menses, sive quatuor, uti in nota marginali legebatur in *Syn. Rom. sub Eugenio II. can.* 24. Tum statuti sex menses *cap.* 22. *X. h. t.* sc. a die probabilis notitiæ. Atque Interpretes hoc de Ecclesiastico patrono, illud de laico accipi scripserunt: quæ distinctio probata fuit a Bonifacio *VIII. cap. un. h. t. in VI.*

§. 290. Alia differentia ex DD. interpretatione invaluit; quod laicus intra tempus in Jure definitum possit successive plures præsentare: Ecclesiasticus vero patronus unum tantum possit præsentare; & si plures præsentaverit, prior sit omnino

nino præferendus. Alia differentia invaluit; quod si patronus Ecclesiasticus Clericum minime idoneum præsentaverit, pro ea vice amittat jus suum presentandi; & Ordinarius *pleno* jure vacantem Ecclesiam conferre possit.

§. 291. Fundatori debentur quoque alimenta, si ad inopiam redigatur. Potest etiam fundator sibi, heredibusque, immo & extraneis pensionem reservare, *cap. 16. X. de censibus*. Sacerdotes autem non administrantes bona juxta intentionem fundatoris, vel officium Ecclesiasticum non celebrantes, a Patronis monendi, & episcopo, vel judici deferendi. Debentur etiam patrono jura, quæ honorifica dicuntur, pro reverentia, quæ ob ejus beneficentiam, præstatur. Et quidem externis notis; ex. gr. processionis, precum, thuris, aquæ benedictæ, sedis, & alia.

CAP.

C A P. XVII.

DE CONJUNGENDIS, AC RENUNTIANDIS BENEFICIIS.

§. 292. UNio duarum, pluriumve Ecclesiarum, seu Beneficiorum, quæ legitima auctoritate, justaque ex causa peragi debet, vel confusione fit, si ea in unum veluti corpus coalescant, & inde una Ecclesia, unumve Beneficium evadat; vel subjectione, si singulæ proprium cœtum retineant, sed altera principalis evadit, cui altera tanquam filia, & fundus accedit; vel denique æque principaliter, si neutra Ecclesia alteri subjicitur, sed ambabus suum titulum, gradumque retinentibus, idem minister præficitur. Fieri autem debent uniones superioris Ecclesiastici legitima auctoritate. Summo Pontifici præsertim reservata est Cathedralium conjunctio, ex nova disciplina, *cap.* 8. *X. de excess. prælat.*, *Fleur. disc.* 4. *in hist. Eccl.* At episcopi adunant Ecclesias, & Beneficia suæ diœcesis *cap.* 8. *X. eod.*; necnon Capitulum, sede vacante; modo juri episcopali non de-

derogetur. Atque ita nequit adunare Beneficia, quæ sunt liberæ solius episcopi collationis. Inferiores antistites, licet ordinaria polleant jurisdictione, hoc jus non habent, nisi ex longæva præscriptione, *Gonzalez. in d. c.* 8.

§. 293. At conjunctio ex legitimis causis facienda est, h. e. evidenti Ecclesiæ necessitate, aut utilitate, *cap.* 33. *X. de præbend.*; ex. gr. si duæ Ecclesiæ sint pauperes; si belli, vel temporis injuria desolatæ sint; vel si fidelium numerus imminutus fuerit, *can.* 48. *caus.* 16. *q.* 1., vel si reditus necessarii sint ad adolescentes in seminariis instituendos, aut ad Dei cultum, *Trid. sess.* 23. *de Ref. c.* 18. & *sess.* 24. *c.* 15. Insuper ad uniendas paroecias major causa adsit oportet. Et Tridentinum cavit, ab episcopis expendi conjunctiones perpetuas Beneficiorum factas a 40. annis; rescindique eas, quæ factæ sine justis causis fuerint, *sess.* 7. *de Ref. c.* 6. Hoc autem decretum apud nos minime receptum est, saltem quoad Beneficia adnexa Ecclesiis patronatus laici. At non licet episcopis Ecclesias mensæ suæ, vel Capituli adnectere, *Clem.* 2. *de reb. Eccl. non alien.*, nec

nec unius diœcesis Beneficia alterius Diœcesis Beneficiis, *Trid. sess.* 24. *de Ref. c.* 9. *sess.* 23. *de Ref. c.* 18. & *sess.* 24. *c.* 13. & 15.:

§. 294. Ut vero de legitimis constet caussis, Ecclesiæ certa ex forma conjungendæ sunt. Nam vocatis omnibus, quorum interest, episcopus cum Capituli consensu unionem decernit, *cap.* 1. & *seqq. de his, quæ fiunt a præl. sine consf. capit. Trid. sess.* 24. *de Ref. c.* 15. *V. Turricellium de unionibus c.* 9. Neque episcopi possunt conjungere Beneficia, quæ ad Prælatos inferiores spectant, nisi ex horum consensu, *Clem.* 1. *de statu monach.*

§. 295. Divisio autem Ecclesiarum generaliter prohibetur, *cap.* 8., & 26. *X. de præbend.*; estque regula, *ut Ecclesiastica Beneficia sine deminutione conferantur.* Attamen ex necessitate, aut utilitate Ecclesiæ, una in duas dividi potest, *cap.* 26. *X. eod.*, & cum ejus auctoritate, cujus conjunctio facienda est; iisque, quorum interest, auditis. Quin si conjunctio facta fuerit certa ex causa, hac cessante, illam cessare quoque necesse est, *Rebuff. in prax. tit. de union. revocat.* Nam Ecle-

clesiarum dissociatio favorabilis censetur.

§. 296. Jam vero Beneficii renuntiatio, quæ generaliter *resignatio* dicitur, est spontanea dimissio Ecclesiastici officii; eaque fieri potest aut pure, aut in favorem alicujus personæ, aut ex permutatione. At vulgo simplex, & pura appellatur *renuntiatio*; quæ vero in favorem fit, *resignatio*. Simplex illa recte fit, modo sponte, ex justa causa, & probante Antistite, *cap.* 4. *X. de renunt.*; nec antiquior est Alexandro III., *De Roye Inst. J. Can. II.* 18. Nam cum olim ordini Beneficia adnexa erant, Clerici potius sacro ministerio, quam Beneficiis renuntiabant. Permutationes Beneficiorum antiquis Patribus ignotæ, audiri quoque cœperunt, ubi ab ordinatione sejuncta fuere Beneficia. Fuerunt autem prohibitæ; *cap.* 9. *X. de præbend. cap.* 5. *X. de rer. permut.* Erant namque veluti sacrorum officiorum commercium, *cap. un. de rer. permut. in VI. Clem. unic. eod.*

§. 297. Rursus resignatio Beneficii in favorem contra sacrorum officiorum naturam est, de quibus Clerici disponere nequeunt, *Conc. Antioch. can.*23.; præcipue si pactum adsit, quod vetatur circa res spi-

spirituales iniri, *cap.* 5. *X. de rer. permut.* Nihilominus resignationes frequentes evaserunt post Sæc. XVI., præsertim in Canonicorum præbendis; idque ob Pontificis auctoritatem. Justa autem, & probabili ex causa, ob Ecclesiæ utilitatem resignari beneficia debent: non enim temere vinculum inter Clericum, Ecclesiamque dissolvi potest. Invaluit tamen, ex episcoporum facilitate, sine ulla causa posse triplicis illius generis renuntiationes fieri; præsertim si de Beneficiis non curatis ageretur. Etsi vero Pius V. in Bulla *quanta Ecclesiæ* 58. certis solummodo ex caussis renuntiationes Beneficiorum ab Ordinariis admitti voluerit, Decretalis tamen ista multis locis recepta non est.

§. 298. Superioris etiam requiritur in renuntiationibus auctoritas. Is jure Decretalium est summus Pontifex, si munus deponere velit episcopus, aut quisquis exemtus ab episcopali jurisdictione *cap.* 2. & *seq. X. de translat. episc. cap.* 15. *X. de renuntiat.*: est vero episcopus, si inferiores Beneficiarii sua Beneficia renuntiant. *cap.* 4. *eod.* Renuntiationes in favorem summo Pontifici reservatæ sunt.

Per-

Perversa tamen ratio illa redditur, quia Pontificia auctoritate eluitur labes simoniaca; si natura sua essent turpia pacta, quæ res spirituales in commercium adducerent, *Espen. p.* 2. *tit.* 22. *c.*2. Si quis ad sacros ordines titulo Beneficii promotus sit, non potest renuntiare, nisi & ea promotio exprimatur, & constet, aliud renuntianti satis esse ad vitam sustinendam, *Trid. sess.* 21. *de Ref. c.* 2.

§. 299. Qui Beneficium renuntiavit, illud amplius non potest repetere, quia suum jus extinguitur, *cap.* 3. 5. & 6. *X. de renuntiat. Trid. sess.* 25. *de Ref. c.* 7. At renuntiationes in favorem, vel causa permutationis, sub certo modo factæ videntur, *Flamin. Paris. de resignat. Benefic. Lib.* 1. *qu.* 2. & 3.

PARTITIONUM JURIS CANONICI PARS III.

DE JUDICIIS ECCLESIASTICIS.

§.300. Ad tertium Canonici Juris objectum gradum faciamus: idque tribus claudere capitibus placet. Quorum primo de Jurisdictione Ecclesiastica; altero de criminibus, & censuris Ecclesiasticis; postremo de Judiciorum ordine verba faciemus, ac pro instituto nostro dabimus selectiora.

CAP. I.

DE ECCLESIASTICA JURISDICTIONE.

§.301. De jurisdictione Ecclesiastica, de foro competente, ac judicibus in hoc capite agendum est. Jurisdictionis vocabulum, quod *potestatis*, & *auctoritatis* vocibus successisse videtur, omnem denotat ministrorum Ecclesiæ pote-

te-

testatem. Poteſtâs ſane in Chriſtianos a Chriſto Eccleſiæ data eſt; uti ex Chriſti verbis, *Luc.* 10. *v.* 16., *qui vos audit, me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit*. Et *audire* idem ac *obedire*. Altera autem poteſtas in interiori foro exercetur; uti ex verbis, *quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, Joh.* 20. *v.* 23.; altera in exteriori; *ſi peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipſum ſolum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos teſtes: ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ, Matt.* 18. *v.* 15., h. e. Conciliis, aut epiſcopis. Plane Judæi Eccleſiam dixere aut conventum in Synagoga habitum, aut Synagogæ Principes.

§.302. Canoniſtæ juriſdictionem ita dividunt, ut ea aut ſacerdotii intrinſeca ſit, aut extrinſecus ei adveniat. Intrinſeca eſt, qua Eccleſia gubernatur, ut æternum ſtet, atque conſervetur. Spiritualis ea eſt, animarumque ſalutem ſpectat. Quæ autem ad ſpiritualem pertinent poteſtatem (ex qua doctrina prædicatur, adminiſtrantur ſacramenta, & pœnæ ſpirituales irrogantur), in iis Principes ſæculares nihil directe poſſunt. Plane apud

Gentes Religionis, Reique publicæ administratio uni incumbebat: non ita apud Christianos, *De Marca de C. S. & Imp. II.* 1.

§.303. Porro jurisdictio, quæ sacerdotio veluti extrinsecus advenit, versatur in causis civilibus qua laicorum, qua clericorum, atque in puniendis in foro externo civilibus Clericorum delictis.

§.304. Civiles laicorum causæ christianæ caritati adversantur, atque ad terrena animos trahunt. Hinc Servator noster; *qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*, *Matth. V.* 40. Tum *Luc. VI.* 30.; *qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* Et Apostolus 1. *ad Cor. VI.*, ne Corinthii apud ethnicos judices lites agerent, iis permittit, ut litium arbitros Christianos fratres suos constituerent. Verum id nil quidquam Magistratuum auctoritati detrahebat, quam alibi Apostolus idem tuetur *ad Rom. XIII.* 1.. Actori siquidem ea facultas facta est, non reo. Quod vero Episcopi doctiores essent, & pacis sequestres, ad eos lites delatæ: iique in obscuris ICtos consulebant, *August. serm.* 49. *de divers.* Christianis quoque Impera-

ra-

ratoribus episcopalia placuerunt arbitria; quin firma adeo evaserunt, ut exsequi a magistratibus prorsus deberent, *L. 7. & seq. C. de episc. aud. Nov. 12. tit. de episc. judic. ad calcem C. Th.* Episcopos autem adibant ex compacto litigantes, non vero altera parte refragante. Nec genuina est Constantini M. lex sub d. titulo *C. Th. de episcopali judicio. V. Jac. Gothofred.* Et tamen lex isthæc, (sub nomine Theodosii probata a Carolo M. *VI. 366.*, & a Gratiano *can. 35. caus. 11. q. 1.*, forte quia Codici Th. inerat, *Altesserr. de jurisdict. I. 7.*) obscuris temporibus fecit, ut episcoporum auctoritas in veram jurisdictionem abiret, si litigantium alter episcopi judicium elegisset: eaque ad omnes ferme pecuniarias causas producta; sive quia peccatum, vel mala fides inesset, sive quia jurisjurandi, matrimonii, testamenti, & piæ aliæ causæ essent; sive quia magistratuum negligentiam supplere episcoporum jus esse existimaretur; ut ad eos magistratuum suspiciones deferret Joanna II. *Rit.* 265. Imminutam civilem jurisdictionem Andegavenses Reges nostri, Francorum Regum exemplo, libenter tulere;

at Ecclesiastica tandem defecit. Vide novissimum Concordatum *cap. 6. n. 7.*

§. 305. Pauca nunc de jurisdictione Ecclesiastica in civilibus Clericorum caussis. Et certe, licet rerum dominia sacerdotio haud opponantur, Clerici ob status sui perfectionem nec persequi, nec tueri temporalia deberent, *can. 1. caus. 14. q. 1.* Iis tamen permissum jura sua vindicare, sed Ecclesiastico judicio, non forensi: modo cum Clerico lis esset, *can. 43. caus. 11. q. 1.* Si enim res esset cum laico, qui in episcopum non consentiret, publici judicis auctoritas detrectari non poterat; *L. 13. C. de episcop. aud. L. 25. C. de episc. & cleric.* At non licebat Clericis lites suas ad sæculares judices, nisi episcopo permittente, deferre: qui sensus est canonis 32. Conc. Aghathensis à Gratiano interpolati, *can. 17. caus. 1. q. 1.* Sed primum Justinianus monachos, & Clericos, ne ii strepitu fori distinerentur, in pecuniariis caussis a magistratuum jurisdictione exemit; *Nov. 89. c. 1. & Nov. 83.* Quod fori privilegium, labentibus annis, mirum in modum auctum est, ut ab Ecclesiæ auctoritate, non a Principum

in

indulgentia profectum fuisse diceretur. Imminui autem cœpit, ex quo majores fori ambages apud judices Ecclesiasticos irrepserunt; & Clerici ab altare distrahebantur. Ideo Reges nostri Nortmanni, & Svevi, hoc privilegium quoad actiones personales solummodo reliquerunt, non quoad actiones in rem, si res essent Clericorum propriæ, non Ecclesiæ, *Guil. I. Const. si quis Clericus: Frid. II. Const. de burgensaticis*: Quas Constitutiones, tanquam libertati Ecclesiasticæ adversas, Doctores nostri imperite traduxerunt. Abrogatæ autem eæ fuere a Carolo I., pactis conventis cum Clemente IV., & a Carolo II. *in cap. item statuimus 94.* Hoc ab Andegavensibus jus constitutum diu obtinuit. Plurimæ demum species exceptæ sunt, in quibus Clerici apud sæculi magistratus conveniendi sunt, tam in civilibus, quam in criminalibus caussis; de quibus actum est satis in Jure Regni repetitæ prælectionis.

§. 306. At quæ criminalis Ecclesiastica jurisdictio? Scilicet potestas criminum puniendorum ad jura majestatis pertinet, *Grot. II. 20.*: sive laici delinquant, sive Clerici; quia cives sunt, *ad Rom. XIII. 1. seq.*,

seq., etiam episcopi, *Chrysost. hom.* 23. *in epist. ad Rom.* S. *Bernard. ep.* 42. At Principes Christiani Clericis Fori privilegium concessere in criminibus *ecclesiasticis* (quæ pœnis canonicis subjiciuntur, & Ecclesiam turbant, ut hæresis, schisma, simonia, apostasia); & in *civilibus* levioribus tantum. *L.* 23. *C. Th. de episc. & Cleric. L.* 1. *C. Th. de relig.* Civilia directe lædunt Remp., nec in foro externo aliquid spirituale continent, uti homicidium, peculatus, furtum. Dicuntur porro crimina *mista*, quæ Religionem una, & Remp. lædere videntur; ut adulterium, concubinatus, sodomia, sacrilegium. Atque hæc Jure Decretalium canonicis pœnis vindicant episcopi; & magistratus civilibus, *cap.* 2. *X. de malef. & blasphem. cap.* 5. *de pœnis in VI.* Redeamus in viam. Justinianus primum *Nov.* 83. Clericorum in ecclesiasticis caussis exemtionem probavit; postmodum *Nov.* 123. *c.* 21. statuit, ut eos in communibus delictis judices sæculares, inscio episcopo, minime damnarent. Pubblica autem est potestas in facinorosos clericos: *Barclaius de potest. Papæ. c.* 33. Tum in Occidente Sæc. VII. Cleri-

ci

ci in criminalibus generatim episcopis addicti sunt. *Capitular. I. 38. & V. 378.* Quare vetera hac de re monumenta Gratianus interpolavit, mutilavit; *can. 2. & 3. caus. 11. q. 1.*: quin exemtionem istam de jure divino esse, plurimi dixere, *Espen. p. 3. tit. 3. c. 2.* Verum enimvero locum habet hoc privilegium, quatenus usu receptum, & ubique ferme graviora crimina excepta fuere. Guilelmus II. *in Const. de personis* crimen majestatis excepit. Carolus II. *cap. item statuimus 94.* causas feudales: tamen Guilelmi Constitutio abrogata per hoc Capitulum non fuit. De novissimo nostro Concordato actum est a nobis in Jure Regni.

§. 307. Clerici omnes olim fori privilegio fruebantur, *Nov. 83. & 123.*; modo Ecclesiæ servirent, *L. 2. C. Th. de episc. & Cleric.* Postmodum ordinis dignitati potius, & characteri, quam ministerio id tributum est, *Espen. p. 3. tit. 3. c. 3.* Verum apud nos requiritur Ecclesiæ servitium, habitus, & tonsura clericalis, ut Clerici beneficiarii fori privilegium habeant, uti ex Regiis litteris anni 1760. Vide Concordatum *cap. 3. & 4.* Qui autem hoc privilegium habent,

 ei

ei renuntiare non possent, & in judicem laicum consentire; ex Innocentii III rescripto *cap.* 12. *X. de foro compet.* Non ita esset ex *Nov.* 123. *c.* 8.

§. 308. Jam vero forum competens rerum spiritualium, Ecclesia est; *Athanas. apol.* 2. Et antiquitus, quoad peccata, Ecclesiæ forum internum, & sacramentale fuit, *Morin. de administr. pænit. l.* 10. *Franc. Florens de jurisdict. eccles.* . Insuper, quoniam quisque in proprio foro conveniendus est, h.e. apud eum judicem, qui in eum invitum jurisdictionem habet, Clerici, ubi fori privilegium habent, apud Ecclesiasticos judices conveniendi sunt. Heic observandum est, reum quà in ecclesiasticis, quà in civilibus judiciis, ex quatuor causis potissimum forum competens habere, civili, & Canonico Jure; scilicet domicilio, *L.* 2. *&* 7. *C. de incolis*; loco contractus; *L. un. C. ubi conveniatur qui certo loco* (qui extra domicilium contraxit, actione directa in loco contractus, si ibi præsens reperiatur, arbitraria in domicilio convenitur, *d. L. un.*); loco ubi res sita est, *L.* 2. *&* 3. *C. ubi in rem actio* (Jure Canonico etiam loco beneficii, *cap.* 3. *de temporib. ord. in VI.*; ac

ac liberum est actori loco rei sitæ, vel domicilii in rem agere, *L.* 38. *ff. de judic.*); & ubi crimen admissum est; *L.* 7. *ult. ff. de accusationib. cap.* 14. X. *de for. compet.* Quod si reus absit a loco delicti, etiam alibi quæstio peragi potest, *L.* 1. *C. ubi de criminib.*, nisi Judex loci patrati criminis petat, reum ad se transmitti, puniendum in loco delicti, *L.* 7. *C. de custodia reor. Nov.* 134. *cap.* 5. Alii modi sunt, quibus forum incompetens evadit competens; sc. consensus litigantium, quo jurisdictio profertur, seu *prorogatur*, *L.* 1. *C. de judic.*; continentia causæ, *L.* 9. *C. eod.*; & privilegium; quod Jure Romano habent viri clarissimi, milites, necnon ii, quibus fori electio concessa est, quales pupilli, viduæ, & miserabiles personæ, *L. un. C. quando Imperator inter pupillos, vel viduas.*

§. 309. Denique judices videamus, per quos Ecclesiastica potestas explicatur. Cum autem de conciliis in prolegomenis actum sit, hic pauca ex Jure Decretalium de judicibus ordinariis, & delegatis, uti ex titulis *de officio judicis ordinarii*, & *de officio judicis delegati*. Ordinarii sunt, qui

qui jure sui officii, & quasi propriam exercent jurisdictionem, quales episcopi, & metropolitani, necnon qui jure officii sui lege probati jurisdictionem exercent, etsi officium illud alieno beneficio detur; uti in civitate sunt Magistratus, in Ecclesia Legati Pontificis. Jure Decretalium ordinarii judices sunt archipresbyteri, decani rurales, & præsertim archidiaconi: quamvis initio nonnisi fuerint ediscoporum delegati. Tales etiam sunt Vicarii generales.

§. 310. Porro Judices delegati sunt, qui jurisdictionem non jure proprio, sed alterius mandato, & beneficio exercent, ideoque mandantis vice funguntur. Episcopi, Metropolitani, Patriarchæ, Summus Pontifex, jurisdictionem suam mandare possunt, *can.* 29. *cauf.* 11. *q.* 1. Ipsi Archidiaconi, & Decani, cum ordinaria jurisdictione aucti sunt, eam mandarunt. Frequentiores sunt Legati Pontificii. Vicarii generales solummodo quosdam actus, puta testium examen, non jurisdictionem delegant.

§. 311. Lites autem non solum per Judices, sed etiam per arbitros finiuntur. In Jure Civili arbiter sæpe est Judex a Præ-

Prætore datus in judiciis bonæ fidei, aut arbitrariis. §. 1. *Inst. de act. Cic. pro Rosc.* Hoc loco est judex a partibus *ex recepto*, hoc est *ex compromisso sumtus*, *L.* 81. *ff.* & *L.* 12. *C. de judic.* Arbitrorum alii voluntarii sunt, qui litigantium voluntate eliguntur; quique *compromissarii* dicti sunt, *L.* 14. *ff. de tutorib.*; alii necessarii, seu juris, qui ab ipsis partibus eliguntur, sed legis jussu præcedente. Jure Decretalium voluntario compromisso pœna addi potest; necnon, quod vetuit Justinianus *Nov.* 72. *c.* 11., jurisjurandi religio, *cap.* 2. & 9. *X. de arbitr.* Arbitros autem licet sumere in causis, quæ privata cognitione componi possunt, non item in iis, quæ jus publicum spectant. Eorumque sententia proprie *arbitrium* audit, *L.* 9. *ff. qui satisd. cog.*, & *laudum*: quia sequiore ævo *laudare* significabat *judicare*. *V. Hotom. de verb. feudalib.* Judicati actio non datur ex laudo: tenentur tamen compromittentes prorsus ei stare; nec appellationis auxilio juvantur, *L.* 1. *C. de recept. arbitr. can.* 33. *caus.* 2. *q.* 6. Usu tamen fori arbitri judicium, si iniquum videatur, ad arbitrium boni viri reducitur; quod

vix

vix ab appellatione distat, Ita apud judicem ordinarium arbitria deferuntur.

§. 312. Quæ diximus ad volontarios arbitros pertinent. Necessarii veri judices sunt: nam censentur dati ab eo, qui electionem jussit, principe sc., aut prætore, *L. 16. C. de judic.* Ita Jure civili si delegati judices uti suspecti rejiciantur, eligi debent arbitri, qui de principali causa cognoscunt, *L. 16. C. de judic.* Contra Jure Decretalium cognoscunt de suspicione, non de causa, *cap. 39. X. de offic. deleg.* Adhæc in Ecclesia Africana, ubi placuit, universale Concilium quotannis minime fieri, eligi debebant arbitri, qui cognoscerent de appellatione a sententia provincialis concilii, *can. 96. C. Afric.*

CAP. II.

De ecclesiasticis delictis, et censuris,

§. 313. Clericorum delicta Ecclesiastica omnia, & ex communibus ea, quæ nominatim non sunt excepta, de quibus in *Jure Regni*, ad Episcoporum audientiam pertinent. Laicorum de-

delicta sæcularia sæcularium judicum sunt; Ecclesiastica Ecclesiasticorum judicio subjiciuntur: De mistis criminibus alibi egimus. Hoc loco de præcipuis Ecclesiasticis criminibus.

§. 314. APOSTASIA, seu *defectio*, crimen est ejus, qui a Christiana Religione, quam per baptismum professus est, omnino defecit: sive ethnicus, aut Judæus fieret, sive in aliam Religionem haud transiret: & sive sua sponte, sive metu coactus, & vi tormentorum a Christo deficeret; qui proprie *lapsus* dicebatur. Apostatis similes erant, qui superstitiosos gentium ritus adjuvabant, vel imitabantur. Nam isti quodammodo rei idolatriæ erant, religionisque proditores.

§. 315. At quas penas in Apostatas Ecclesia decrevit? Ii, præsertim si idolatriæ rei essent, ante Cypriani tempora, non solum Ecclesia ejecti, sed & in fine vitæ communione, seu absolutione, privabantur. Qua severitate postea ab Ecclesia omissa, apostatis pœnitentibus, ad Religionem reversis, absolutio data est. *Bing. O. E. XVI.* 4.

§. 316. HÆRESIS sectam denotat. Est in rebus fidei error cum pertinacia. Quare,

re, ut Christianus homo hæreticus sit, tria requiruntur. I. ut erret in fide, sc. in iis, quæ dogmata fidei, morumque regulas spectant: nam in rebus naturalibus verbo Dei comprehensis, hominum linguam Deus loqutus est, *Murator. de ingenior. moderat. l.* 23. II. ut doctrina, quæ negatur, sit ab ecclesia Catholica ad credendum proposita. Quare nonnulli, etsi dogmata tenuerint verbo Dei contraria, quia tamen Ecclesia Catholica doctrinam nondum explicaverat, hæretici habiti non fuere. III. ut doctrina ab Ecclesia proposita, a sciente, & pertinace rejiciatur.

§. 317. Ab Ecclesiastica, & civili potestate multæ pœnæ in hæreticos statutæ sunt. Ecclesia anathema in eos dixit, & Christiana communione privavit: ac si Clerici sint, eos omnibus Ecclesiasticis officiis privavit, & perpetuo deposuit. Et Decretalium jure liberi hæreticorum paternæ lineæ usque ad secundum gradum, maternæ lineæ ad primum, omnibus Ecclesiasticis beneficiis privantur; *cap.* 15. *de hæretic. in VI.* Ex legibus Romanis generatim hæretici infamia notati: item intestabiles facti; idest testamenti faciendi in

in quemcumque criminis socium, vel ex aliorum testamentis facultate capiendi spoliati: Fridericus II. pro hæreticis omnibus mortis, & ignis pœnam statuit; hæresim inter publica crimina recensuit, & hæreticorum bona publicari jussit; idque tam in Imperio, quam in Regno Siciliæ, uti ex Const. sub titulo *de hæreticis, & patarenis*. Ceterum mortis pœna Ecclesiæ humanitati minime conveniret.

§. 318. SCHISMA est *scissura*, seu divisio. Schismatici sunt, qui se per inobedientiam separant ab unitate Ecclesiæ Catholicæ: quæ in eo posita est, ut plures Ecclesiæ particulares, uti membra sub uno capite unum corpus constituant. Schismatici ideo *corpus Christi lacerare* Pelagio Papæ dicuntur, *can.* 43. *caus.* 23. *q.* 5. Quoniam vero schisma integram relinquit Ecclesiæ doctrinam; ideo schismatici proprie hæretici non sunt, *can.* 26. *caus.* 24. *q.* 3. Verum schisma, si perduret, solet in hæresim erumpere. Plane & obstinati schismatici Ecclesiæ spernunt auctoritatem, & doctrinam contra Ecclesiam Catholicam profitentur; nimirum, extra unitatem Ecclesiæ esse salutem. Immo proprium aliquod dogma asserere solent

lent, ut recte ab Ecclesia recessisse videantur; uti Hieronymus *d. can.* 26. Solent autem Canonistæ dicere *internum* schisma, si quis ab Ecclesia sua secedat, veluti presbyter ab episcopo suo; & *externum*, si Ecclesiæ particulares communionem inter sese abrumpant; vel si quis Summo Pontifici, tanquam capiti Ecclesiæ universæ, non adhæreat, & ab unitatis centro recedat; *Nicolius de unit. Eccles. ll.* 10. *Espen. p.* 3. *tit.* 4. *c.* 2.

§. 319. Canones iisdem pœnis schismaticos, & hæreticos coërcuerunt. Schisma enim cum hæresi sæpenumero conjungitur. Si vero purum sit, excommunicatone punitur, *Can. Apostol.* 32. *d. can.* 43. *caus.* 23. *q.* 5. Ordinationes quoque, dignitatum, & beneficiorum concessiones, bonorumque Ecclesiasticorum alienationes, a schismaticis, & hæreticis factæ, effectu carent, *cap.* 1. *X. de schism.*

§. 320. SIMONIA est crimen Ecclesiasticum hæresi proximum, quo res spirituales, & sacra officia, non gratis ex Christi doctrina, sed per pecuniam conferuntur: ita dicta a Simone Mago, qui dona Spiritus S. ab Apostolo Petro emere volebat. Dividi solet in simoniam *per-*

se-

fectam utrinque, si per pecuniam spiritualia data sint; *conventionalem*, si pactum tantum initum sit, nulla traditione, vel tantum ex una parte, subsequente; *mente conceptam*, si quis per simulationem officii aliquid offerat, spe beneficii obtinendi; & *per confidentiam*, si beneficium accipiatur cum pacto restituendi: & generaliter pacisci de spiritualibus, simonia est; *cap.* 5. *X. de rer. permut.* Pecuniæ autem nomine veniunt *munus a manu, munus a lingua, & munus ab obsequio, can.* 6. *caus.* 8. *q.* 1. *& can.* 114. *caus.* 1. *q.* 1. Simonia autem est, ideoque jure nullus actus, etiamsi qui accepit spiritualia, vitium ignoret, & alter donet, *can.* 3. *caus.* 1. *q.* 5. *cap.* 27. *X. de simon.* At sponte oblata in rerum spiritualium administratione recte accipiuntur, *Thomassinus p.* 3. *lib.* 1. *cap.* 69. Solet autem simonia abscondi pietatis specie, si detur in usus pietatis; specie rerum temporalium, si detur pro reditibus, qui percipiuntur ex ministerio Ecclesiastico; specie honorarii, ut dispensator rerum spiritualium veluti excitetur, & moveatur; vel specie redimendæ vexationis, ut impedimenta ad obtinendum beneficium tollantur.

§. 321. Pœna in ordinationes simoniacos erat olim depositio in clericos ordinatos, & in ordinantes; atque excommunicatio in laicos criminis sequestres. Depositio Clericorum perpetua erat, nec pœnitentes gradum amissum recuperabant, *can.* 5. *caus.* 1. *q.* 7.: idque olim de ordinationibus simoniacis obtinebat; & postea de collationibus beneficiorum, quæ antea ordinibus adhærebant, *can.* 9. *caus.* 1. *q.* 3.. Immo nullæ sunt simoniacæ collationes beneficiorum, *Extravag.* 2. *de simon. inter comun.* At dicta depositionis pœna in nova disciplina desuevit; & suspensio locum habet, in ordinantes a quacumque ordinum collatione per triennium, in ordinatos vero ab ordinis suscepti exercitio, usque ad veniam a Summo Pontifice impetrandam, *cap.* 45. *X. de simonia*. Ex Decretali autem Pii V. *cum primum* ordinati ab ordinis exercitio suspenduntur ipso jure per decennium, & in carcere per annum detruduntur. Tum simoniaci omnes excommunicationem latæ sententiæ, Summo Pontifici reservatam, subeunt, *Extravag.* 2. *de simon. inter commun.* V. *Christ. Lupum diss. de simonia*.

§. 323.

§. 322. Jam vero ad censuras Ecclesiasticas gradum faciamus. Potest Ecclesia ex divino Jure pœnas ob animarum salutem irrogare. Christus sane cum claves dedit, hoc jus concessit. *Matth.* 18. *v.* 15.: quicquid Boëhmerus dicat. At pœnæ Ecclesiasticæ præcipue a civilibus differunt, quia animam afficiunt, & potius in privatione alicujus boni spiritualis, & communionis, quam in irrogatione corporei mali, consistit. Censuræ quoque dicuntur. Nam apud Romanos ex nota censoria, in privatione juris, vel dignitatis, censura consistebat. Procedente tempore in Ecclesiasticis regulis pœnæ civiles additæ sunt, quibus delinquentes infamia notati, aut privati dignitate civili; & ipsæ Ecclesiasticæ pœnæ, cum in foro externo dari cœperunt, civilium pœnarum speciem induerunt. Plane externum forum ab interno, & sacramentali, labentibus annis, separari cœpit; & absolutus in sacramento pœnitentiæ, foro externo, & judiciali obnoxius adhuc remanere. Hinc doctrina manavit, forum internum potestate ordinis inniti; externum jurisdictionis: neque sufficere ad exercendam jurisdictionem, ut quis possit

in foro interno peccata remittere. Tandem censuris obstriguntur baptizati viventes (etsi possit Ecclesia mortuos exsecrari, & detestari, *Dupin. de antiq. Eccles. discipl. diss.* 3. *c.* 2.), gravioris criminis rei, & potestati ejus, qui censuras irrogat, subjecti.

§. 323. EXCOMMUNICATIO principalis censura est, ex qua suspensio, & interdictum. Est excommunicatio ejectio de Ecclesiæ communione: hæc autem in Religionis officiis posita est. Est item communio inter Ecclesias particulares, quæ olim fiebat & litteris formatis, quas episcopi sibi mutuo dabant, & admissis ad sacra officia fidelibus alterius Ecclesiæ, qui litteris communicatoriis peregrinabantur, *Dupin. de antiq. Eccl. discipl. diss.* 3. *c.* 1. Erat olim excommunicatio vel major, quæ *mortalis*, & *anathema* dicebatur, quæque fideles, graviorum criminum reos, ab Ecclesiæ communione prorsus separat; vel minor, *sive medicinalis*, quæ ferebatur in eos, qui pœnitentiam, & pacem postulabant: ejusque tot olim fuere species, quot publicæ pœnitentiæ gradus, *Morin. de pœnit. VI.* 25. Præterea minor erat excommunicatio, si quis episco-

pus

pus ab alio separabatur.

§. 324. Hodie minor excommunicatio dicitur, propter quam quis nec sacramenta suscipere potest, nec beneficia: nimirum si quis cum excommunicato communicat, *cap. ult. X. de cleric. excomm. ministr. cap. 59. X. de sent. excomm.* Is tamen olim eandem subibat excommunicationem. Hodie etiam, desueta medicinali excommunicatione, excommunicationis vocabulum ad mortalem significandam adhibetur, *dict. cap. 59.* Anathema autem dicitur, si majorum exsecrationum horrore, sollemnitates addantur.

§. 325. Insuper in nova disciplina excommunicatio vel est *ferendæ*, vel *latæ sententiæ*; seu *hominis* h.e. *judicis*, & *canonis* h.e. *juris*. Illa per sententiam irrogatur, hæc ipso facto ab ipso canone infertur. Sed hæc ad XII. usque Seculum ignota fuit.

§. 326. Major vero excommunicatio, qua quis tanquam ethnicus, & publicanus habetur, *Matth.* 18. 15., nonnisi ob grave crimen decerni potest, accedente etiam contumacia; quemadmodum ex ipso Servatoris nostri dicto docemur, *d. loc.* Hinc trina admonitio præcedat oportet, quæ

canonica, & *competens*, dicta est, *cap.* 48. *X. de sent. excomm. cap.* 5. *eod. in VI.*: atque ex Tridentino, *sess.* 25. *de ref. c.* 2., saltem duplex admonitio. Abhorret itaque latæ sententiæ excommunicatio a Christi sententia; & potius usu Ecclesiæ nititur. Adhæc tunc demum corruptum Ecclesiæ membrum abscindi debet, cum omnia alia remedia adhibita sint, & ab excommunicatione majus malum in Ecclesia non erumpat. Tandem cum excommunicationis sententia fertur, ex ritu in Pontificali Romano, *tit. de ordine excommunicandi*, eam aliæ quoque Ecclesiæ servare debent; aliter nullo negotio contemni posset.

§. 327. INTERDICTUM ex nova disciplina (nam olim erat veluti species excommunicationis) proprie est censura, quæ in emendationem privat usu quarumdam rerum sacrarum, qua fidelibus sunt communes. Privat nimirum *usu* rerum sacrarum, qua usus est: nam si eæ spectentur uti quædam communicatio cum fidelibus, potius excommunicatio est. Nec privat earum omnium usu, sed *quarumdam*, quæ in canonibus exprimuntur: quo etiam ab excommuni-

ni-

nicatione differt. Et *quæ fidelibus sunt communes*: quo differt a suspensione, quæ privat usu rerum sacrarum, sed Clericorum proprio. Tandem est *censura*, non pœna, quia in emendationem, non in vindictam criminis decernitur.

§. 328. Est autem interdictum *personale*, *locale*, aut *mistum*. Personale, & locale vel particulare est, vel generale, *Dupin. de antiq. Eccl. discipl. diss.* 3. *c.* 2. Est item interdictum vel latæ sententiæ, vel ferendæ. Ex gravi item causa, scripto exprimenda, ferri debet, præmissis tribus monitionibus. Per generale interdictum initio in Ecclesiis divina omnia officia cessabant, excepto parvulorum baptismo, & morientium pœnitentia. Quæ severitas sensim a Romanis Pontificibus remissa est. Tandem qui violant interdictum, rei sunt; quia Ecclesiæ spernunt auctoritatem: & Clerici, qui in interdicto loco celebrant, a canone sunt alieni; *cap.* 18. *de sent. excomm. in VI.* Qui vero interdicto affectos in loco sacro sepeliunt, ipso facto excommunicati sunt, *Clement.* 1. *de sepultur.*

§. 329. Aliud ab interdicto est *cessatio a divinis* in Ecclesia crimine polluta, u-

que

ſque dum reconcilietur, *cap. ult. X. de conſecr. Eccleſ.*; quæ non infligitur in emendationem (neque eſt cenſura), ſed ut populus ad criminis horrorem excitetur. Violatio ceſſationis à divinis eſt gravis culpa, non irregularitas; *d. cap.* 18. Ceterum excommunicantur regulares, qui celebrant in Eccleſia, ubi à divinis ceſſatur, *Clement.* 1. *de ſent. excomm.*

§. 330. SUSPENSIO eſt Eccleſiaſtica cenſura; qua Clericus in emendationem exercitio poteſtatis Eccleſiaſticæ, quam is habet ratione officii, vel beneficii, ſalva dignitate, abſtinetur. Differt à depoſitione; quæ depoſitum omnino ab altaris miniſterio exturbat, *Eſpen. p.* 3. *tit.* 11. *c.* 10. Eſtque vel ab officio, quæ Clericum abſtinet ab omnibus Eccleſiaſticis officiis, quæ ab ordine, aut juriſdictione dependent; vel à beneficio, quæ eum excludit à fructuum perceptione, non ab officio; vel tandem ab officio, & beneficio. Rurſus quævis ſuſpenſionis ſpecies vel in totum fertur, ſi prohibitio ſit ab omni functione clericali; vel pro parte, ſi prohibitio ſit tantum à miſſæ celebratione, aut ab ordinationibus habendis; vel in perpetuum, vel ad tempus; vel

vel denique ad certum locum. Tum quævis suspensionis species vel est latæ, vel ferendæ sententiæ: atque eodem ritu, atque excommunicatio, ferri debet.

§. 331. Proprie ea suspensio censura est, quæ nullo tempore limitatur, utpote quæ in emendationem infligitur; quæ autem perpetuo, vel ad certum tempus irrogatur, potius pœna est, *Suarez. de censur. disp. 7. sect.* 1. Quod si Clerici functiones ordinis, aut beneficii, a quo suspensi sunt, exercent, a canone alieni sunt, *cap.* 1. *de sent. & re judic. in VI.*

§. 332. Tollitur autem censura per absolutionem, seu relaxationem, *cap.* 28. *X. de sent. excomm.*, cum de emendatione constat, *can.* 33. *caus.* 23. *q.* 4. Id olim ad internum solummodo forum pertinebat, *Morin. de admin. pœnit. l.* 10. Quando vero duplex in Ecclesia forum invaluit, duplex etiam absolutio a censuris distingui cœpit, *Espen. de censur.*, *cap.* 11. §. 2. Post Sæc. XII. invaluit absolutio censurarum *ad cautelam*, cum de vi latæ censuræ dubitatur, *cap.* 40. *X. eod.*; & absolutio *ad reincidentiam*, quæ, cum de censura constat, datur ad certum tempus, aut ad certum actum;

&

& postea absolutus reincidit in censuram.

§. 333. Nunc de pœnis Ecclesiasticis proprie sic dictis. Depositio est pœna, qua Clerici in perpetuum ordinum exercitio, sacris functionibus, & beneficiis in totum privantur. Ex nova disciplina vel simplex, seu verbalis est, quæ *depositio* audit, vel sollemnis, & actualis, quæ *degradatio*: per illam retinentur clericalia privilegia; per hanc amittuntur, & laicus existimatur degradatus: per illam ad pœnitentiam ablegatur clericus: per hanc traditur judici sæculari puniendus; *cap.* 10. *X. de judic.*, *Bened. XIV. de Synodo diœces. IX. 6.* Olim depositio perpetua erat; *can.* 23. *dist.* 50.: & Clericus *ad laicam communionem* redigebatur, *Albaspin. Observ. I.* 4., & Curiæ addicebatur, *L.* 39. *C. Th. de episc. & Cleric. L.* 53. *C. de episc.* Hodie potest depositus restitui, sedis Apostolicæ indulgentia, & proprii episcopi consensu.

§. 334. Regradatio (quæ militaris vox est ad significandam rejectionem militis in inferiorem militiam, *L.* 3. *ff. de re milit.*) est Ecclesiastica pœna, qua clericus de suo in inferiorem ordinem, aut retento suo ordine, ad ultimum sui or-

ordinis locum dejicitur, *Altesferr. de Eccles. jurisd. IX. 9.*

§. 335. Olim inter pœnas erant verbera, quæ ab episcopis in juniores Clericos infligi solebant; nec ultra triginta novem ictus; qui erat verberum modus in lege Mosaica statutus. Erat etiam pœna *communio peregrina*, qua Clerici in sua Ecclesia ad peregrinorum conditionem redigebantur: vivebant enim de bonis suæ Ecclesiæ; & interim omnibus officiis clericalibus, ordinum exercitio, & Eucharistiæ, ac precum communione excludebantur, *V. Bingham. O. E. XVII. 3.*

§. 336. Detrusio Clericorum in monasterium, vel in loco strictiore, veluti carcere, ut pœnitentiam agerent, frequens antiquitus pœna fuit. Tum pœna erat multa; quæ posteriori ætate in clericos tantum, non in laicos irrogatur: nec recepta sunt Tridentini decreta, ex quibus episcopi possent in laicos multas statuere; *sess. 24. de ref. cap. 3.*

CAP.

C A P. III.

De ordine judiciorum.

§. 337. Leges, & canones, inanes prorsus evaderent, nisi applicarentur judiciis ad lites tollendas. Judicium in foro externo est legitima discussio actorem inter, & reum, apud judicem competentem, distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum causa. A judicis persona dividitur in Ecclesiasticum, sæculare, & misti fori.

§. 338. In criminibus autem puniendis Ecclesia olim ex legum civilium forma judicia instituebat, si tormenta excipias, *De Marca IV.* 21. At judicia civilia sine legum ambagibus ex bono, & æquo apud episcopos peragebantur; *Constit. Apostolic. II.* 47. *Novell.* 83. At postquam Sæc. XII. in Italia Juri civili Clerici operam dare cœperunt, multa Romanis Pontificibus de judiciorum ordine statuere placuit; uti ex Decretalibus Gregorii IX., quæ maximam partem in civili foro receptæ sunt, *Cujac. præfat. in libr IV. Decretal.*; tum quia Clerici ju-

judicibus laicis utplurimum militibus, ac nobilibus legum ignaris adsidebant, *Fleury. Jur. Eccles. p. 3. c. 6.*, tum quia, desuetis variis probationibus per duellum, aquam calidam &c., gentes judicandi formam in Foro Ecclesiastico receptam, adoptarunt;

§. 339. Civile judicium a citatione incipit; eaque ad illius pertinet naturam, *L. 4. C. de sent. & interloc.* Ex veteri Romano Jure differebat *in jus vocatio*, quæ ab actore privata auctoritate fiebat, a *citatione*, quæ jussu judicis. Post Democratiam nonnisi judicis auctoritate reus in jus vocatur. Decretalium jure non est necesse, ut in libello nomen actionis exprimatur, & sufficit in factum agere, *cap. 11. X. de judic. Cujac. in cap. 6. X. eod.*

§. 340. Citatio, ut legitima sit, debet continere nomen judicis, diem, locum, & citationis causam. Præstitutus dies feriatus esse non debet. Feriati dies sunt, quibus lite vacant aures, & fora conconquiescunt, vel religionis causa, vel ad humanum usum. Acta judicialia in feriis humanis ex partium consensu recte expediuntur; in feriis religionis nulla

prorsus sunt, *L.* 1. §. 1. *ff. de feriis*; *L.* 2. *in fin.* C. *de feriis cap. ult.* X. *de feriis*. Citatione rite facta (etiam per edictum, *cap.* 10. X. *de dolo*, & *contumac.*), res evadit litigiosa, nec potest alienari; *cap.* 3. X. *ut lite pendente*.

§. 341. Contumax actor Decretalium jure in expensas condemnatur, nec denuo citare potest, nisi præstita cautione de judicio sisti, *cap.* 1. *de dolo*, & *contumac. in VI.* Quin si non compareat citatus actor, ad sententiam proceditur, *cap.* 3. X. *eod.* Reo autem contumace, si lis nondum contestata sit, actor in actione in rem mittitur in possessionem bonorum, de quibus agitur; in actione vero in personam, mittitur in possessionem bonorum rei mobilium, vel, his deficientibus, immobilium pro debiti quantitate, *cap.* 5. §. 6. X. *ut lite non contestata*. Sed hæc possessio potius custodia est. Contestata lite, eam judex sententia sua definiet, si de ea constet: aliter actor mittitur in veram possessionem, salva reo dominii lite, *cap.* 4. X. *de dolo*, & *contumac.*

§. 342. Exceptionibus reus se tuetur, si in judicium veniat. Eæque vel dila-

to-

toriæ, & temporariæ, vel perpetuæ & peremtoriæ sunt. Mutuis etiam petitionibus reus defenditur: Eæ tamen non excludunt actoris intentionem, sed specie compensationis ipsam actionem retundunt. Si mutua petitio ante litis contestationem proponatur, utraque causa simul tractatur; si post contestationem, prorogatur judicis jurisdictio, at non uno judicio utraque tractatur, *Gonzalez in cap.* 1. *X. de mutuis petitionib.*

§. 343. A litis contestatione autem proprie lis incipit: antea dicitur potius controversia. Novo Jure contestatio facta intelligitur per petitionem actoris in judicio, & rei contradictionem, ac responsionem, *L.* 14. *C. de judic. cap. un. X. de lit. contest.* At non desiderant litis contestationem causæ summariæ, causæ appellationis; item quæ sine libello recte expediuntur, & ubi jus agentis contra certam personam non dirigitur. De effectibus litis contestationis in Jure civili egimus.

§. 344. Rei responsio Jure Decretalium non est necesse ut specialis sit in contestatione litis. Ex generali responsione vero status causæ non bene constituitur.

ERRATA		CORRIGE
pag. 24.	ex cuſtodum	& cuſtodum
56	Imrium	Imperium
90	gubernata	gubernatas
111	is ac	ac
138	Rægulares	Regulares
147	Aſiana	Aſiana
224	Gratiam	Gratianum
279	iuducta	inducta
280	publicas	publica.